2

IACOBI SYLVII
MEDICAE REI APVD
PARISIOS INTERPRETIS

Regij Commentarius in Claudij Galeni duos libros de differentijs febrium.

Hac in recenti editione ſumma in emendando diligentia eſt adhibita.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

2

VENETIIS, 1556.
Ex Officina Eraſmiana, Vincentij Valgriſij.

Digitized by Google

Digitized by Google

CANDIDO Lectori.

SI eloquentiſsimorum hominum, Candide lector, veſtigijs mihi inſiſtendum eſſet, facerem equidem quod illos, dum funebres orationes haberent, feciſſe video: longa nimirum oratione eum magnum oſtendere conarer, cuius lucubrationes in omnium cōſpectum emittendas ſuſcepiſſem. Sic nanque Demoſthenes, qui in Philippico ad Cheroneam, ſic Cicero, qui ad Mutinam perierant, quantis potuere encomijs & laudibus celebrarunt. Mihi verò commentarium hunc Iacobi Syluij præſtantiſsimi medici producenti, nihil in huiuſmodi rebus ſudandum video. Illis enim (ni fallor) encomia & panegyrica adhibenda non ſunt, qui ex natali ſuo colore pulchritudinem capiunt, non ex oratoris fuco: quique ex ſuis virtutibus inclareſcunt, non ex diſertis quorundam prædicationibus: qui denique ſuis factis in ſublime aſ-

Digitized by Google

ſurgunt, non aliena eloquentia attolluntur. Quamobrem vbi quis eam ſublimitatem iam poſsidet, vt ſuis meritis eximius, hominum opinione maximus habeatur, nihil ille indigere videtur ad ſui commendationem viribus eloquentiæ. Quod Iacobo Syluio optimo & doctiſsimo medico contigiſſe nemo ſanè ignorat. Non ergo mihi enitendum eſt, vt eum magnum argumentis euincam, aut oratione perſuadeam: quum tantus ſit in omnium hominum mentibus, vt nullum incrementum aut auctarium accipere poſſit. Adde quòd id tentare fruſtranei laboris videri poſsit, quippe qui id probare eniterer, quod omni dubitatione vacat, atque adeo omnibus eſt in confeſſo. præſtarem igitur, vt quod omnes boni ſentiunt, ſentirent, & magnum Syluium legerent, quem magnum & vidiſſent, & reapſe experti ſæpenumero eſſent. Quid igitur (inquies) adfers? Profero ſtudioſis omnibus, qui medicinæ nomē dederunt, Clau. Galeni, Medicorum facile principis, libros duos de differentijs febrium, non quidem nouos, ſed veluti poſtliminio refloreſcentes opera & induſtria doctiſsimi Medici Iacobi Syluij. Ita enim hos ſuo velut ad Cleanthis lucernam ſedulò elu-

cubrato commentario illuſtrauit, vt omnem caliginem facilè ab illis diſpulerit, atque omnibus, qui ad medicinam animum appellunt, plurimùm commodarit. Cæterùm quæres forſitan: quî factum ſit vt tam breui oratione penultimum caput percurrerit, poſtremum verò prorſus intactum reliquerit. tibi igitur ſic reſponſum velim. Quæ poſtremis iſtis locis à Galeno ſcripta ſunt facilia eſſe, & ſuperiori oratione pertractata fuſiſsimè. Nam de putrefactione, caloris febrilis accenſione, augmento, vigore & inclinatione, ſequentis acceſsionis cauſa, diſpoſitione partis morbo affectæ, curatione febris, humorum permutatione, errore in victu febricitantium, cauſa febris increſcentis, decreſcentis & æqualiter affligentis, cauſa morborum circuitu repetentium, & horum diſcrimine (quorum omnium capitibus poſtremis meminit Galenus) paſsim copiosè differuit: adeò vt nihil in illis remanſerit, quod non ſatis ſit ſuperiori ſermone explicatum. Quare mirum tibi videri non debet, Candide lector, quòd finem illic fecerit ſcribēdi doctiſsimus Syluius: quum abundè multa, pro horum librorum interpretatione congeſſerit, & ſcholiogrophi partes ſatis executus ſit.

Quæ omnia ſi diligenter & accuratè volutes, atque, vt ait Homerus, νύκτας τε καὶ ἤματα πάντα verſes, dictu incredibile, quàm bene tuis ſtudijs conſultum erit, quantumque ad medicinam accommodate faciendam comparatum habebis præſidium. Tu igitur χάριν λαβὼν, μέμνησο: Ἀχάριστος γὰρ, ὅστις εὖ παθὼν ἀμνημονεῖ.

Vale.

IN

IN GALENI LIBRVM *PRIOREM DE DIFFE- rentijs febrium,*

IACOBI SYLVII COMMENTARIVS.

IN CAP. I.

CVR à febrium diſtributione in differentias librum hunc auſpicatus ſit Galenus, non à febris diffinitione, qui mos ipſi eſt in cæteris prope operibus maximè familiaris, fuſiſsime libro noſtro de febribus primo docuimus. Nunc mihi ipſam dictionem, & eorum quæ hîc dicuntur rationem interpretari abundè fuerit. Imprimis quod de duobus differentiarum generibus attingit, rerum omnium eſt commune, non febrium ipſarum proprium. Nam omnibus in rebus tradendis, differentiarum genus vnum eſt proprium, principale, &, vt vulgò appellant, ſubſtantiale, ac eſſentiale: alterum accidentale, & id geminum: quod vnum à propinquo & proprio rei *In rebus tradẽdis duplex differentiarum genus.*

Digitized by Google

accidente trahitur, alterum à remoto, & ab ipſa re ſeparabili, aut multis rebus communi. Porrò differentia rerum verè eſſentialis, ſoli deo & naturæ eſt cognita, nobis nec veſtigari, nec inueniri, nec declarari poteſt: vt quæ non à cuiuſque forma tantùm, ſed etiam à propria vnicuique rei ceu materia ex elementis quatuor permiſta, deſumenda ſit. Formæ verò ipſæ & elementorum exacta miſtio, nobis ignoratur. Quapropter quod in cæteris rebus humanis fit, vt penuria optimi, & perfectiſſimi, ad genus ipſi propinquum fiat tranſitus: ſic in eſſentialibus differentijs à philoſophis factum eſt: vt earum maximè propriarum, & verarum loco, eas aſſumerent quæ illis ſunt proximæ, & quibus propiores humana mens inuenire nequeat: quales ſunt ab actione formæ in materia & corpore perfectiſſima: vt in homine à rationis vel ſermonis ipſius, qui cum ratione omnino coniunctus eſt, vſu, vel contemplationis. Vnde hominem dicimus rationalem, vel ſermonalem, vel contemplatiuum. Sic equo eſſe velociſſimum, oui eſſe mitiſſimum, leoni eſſe ferociſſimum, cani vel fideliſſimum hero eſſe,

Differentia rerum eſſentialis ſoli deo cognita.

eſſe, vel ferarum harum, aut harum odore eſſe ſequaciſſimum, cultello ſecantiſſimum, domui domini munientiſſimum eſſe, & cæteris ad portionem, quæ pro differentijs eſſentialibus proprijs & principalibus, tum philoſophi, tum medici rebus attribuerunt. De his autem hæc in præſens ſufficiant. Cùm verò differentiæ eſſentiales ſubſtantijs maximè conueniant miſtis, hoc eſt, his quæ elementis quatuor conſtant, animalibus, plantis, terreis (vt incorporea nunc omittam) tamen etiam accidentibus tribuuntur, vtpote quibus ſua quædam ſit ſubſtantia, aut verius, vt ſic dicam, coexiſtendi ratio: vnde fit vt in omnibus prædicamentis, non in ſola ſubſtantia ſint genera, ſpecies, & differentiæ, & propria ac ſecreta quædam eſſentia cum prædicamentis alijs nihil confuſa. Quocirca & febris, quæ in prædicamento eſt qualitatis, ſuum eſt genus calor: & ſuæ ſunt differentiæ tum propriæ & principales ſeu eſſentiales, tum accidentales: & hæ nunc ipſi calori, aut potius caloris ſubiecto propinquæ, nunc longinquæ. Eſſentiales & accidentales propinquas qui abſolutè deſcripſerit, & ex longinquis quaſdam,

Differentiæ eſſentiales etiam accidentibus tribuuntur.

quaſdam, ille ſolus omne ferat punctum: non qui neceſſariarum aliquam omiſerit, aut longinquas quaſdam inutiles ſcrupuloſius effutiuerit. Tali reprehendendi ratione vtitur Hippocrates, initio libri primi rationis victus acutorum morborum, & Galenus initio artis curatricis ad Glauconem. Porrò accidens rei diuiſæ propinquum, maximè eſt proprium quarto modo, id eſt, quod omni, ſoli, ſemper conuenit: minus propinquum quod alio quouis modo eſt proprium: accidens item inſeparabile: ſeparabile verò ferè eſt à re ipſa remotius. Quæ omnia ex Hippocratis, omnium nobis bonorum authoris, dictione, libro ſexto Epidemiôn planiora fient. Libri autem Epidemiôn I. & III. Hippocratis: II. IIII. VI. Theſſali eius filij, V. & VII. ſpurij, & Hippocrate indigni. Gal. initio li. II. de dyſpnœa: tamen omnes Hippocrati tribuuntur, vt hic ſextus. In hac porrò dictione diuiſiones ſunt quinque febris. Primæ quatuor in differentias eſſentiales, quinta in accidentia ſubiecto febris propinqua, & propria. Prima autem diuiſio eſt in differentias eſſentiales, ſumptas ab ipſa caloris vel eſſentia, vel ſaltem

Febris diuiſiones quinque.

1

ſaltem proprietate maxima, & omni, propè ſoli, ſemper calori conueniente. Omnis enim calor, & propè ſolus, & ſemper, aut mordax eſt, hoc eſt, acrimonia pungens, radens, rodens (Frigidum verò vlceribus mordax, diuellendo) aut mitis, & non mordax, aut amborum medius, & temperatus. Mordaces verò manu febres ſunt, quæ manum medici, duræ & mollis, callidæ & frigidæ mediam, brachijs, aut potius pectori medio, vel ſaltem thoraci ſummo, in mulieribus præſertim, (brachia enim exerta aëris externi contactu, ferè ſunt frigidiora) impoſitam mox feriunt, & effluuij per cutim, ex putrente in febribus materia, qualitate, & vapore acri pungunt, & vellicant, & ita moleſtant, vt diu ferre nequeat: quomodo cum febriente dormientes eius calidioris contactum ægrè ferunt, & ob id longius ab eo ſecubant. Tales autem ſunt omnes bilioſæ per omnia tēpora, maximè verò per ſtatum, tam particularem, quàm vniuerſalem: quando etiam pituitoſæ, & melancholicæ etiam magis tribus alijs temporibus particularibus et vniuerſalibus, principio, augmento et declinatione, magis

Calor mordax.

Frigus mordax.

Mordaces febres.

ſunt

Mordaces à motu caloris, à ſubiecto. ſunt tactu mordaces. Quid? quòd mordaces ſunt, aut mites, non ſolius caloris intenſione, aut remiſsione, ſed etiam motu celeri, tardo, & materiæ, in qua eſt accenſus, ratione? Nam is in ſubiecto ſicco, vt bile flaua, eſt acrior quàm humido, vt pituita, aut vaporoſo & ſpirituoſo, vt diaria. Quo fit, vt hæc differentia tribus his rationibus ſit maximè propria.

Mites. Aliæ mites, hoc eſt minus mordaces, ſic diariæ omnium mitiſsimæ dicuntur. Febris enim omnis calor cùm ſit igneus, acer eſt ac mordax, multò magis tamen vbi ex putredine augetur acrimonia, vt in coagulo, fermento, aceto; ſale petræ, & ſimilibus: omnium maximè vbi materia in qua eſt calor, ante acceſsionem febrilem erat acris & mordax: cuiuſmodi eſt bilis flaua calida ſicca. Pituitæ autem quia ægrè putret, initio calorem habet mitiorem et blandum attactu magis: ſic multæ peſtilentes, vt poſteà dicemus.

Gal. cõm. in lib. 6. Epid. 2 Quòd verò de his quæ perpetuò vel mordaces ſunt vel mites; agat, oſtendit ſequens diuiſio. Secunda diuiſio, quædam non mordaces, ſed ἐπαναδιδόντες, increſcentes Laurent. reſurgentes Leonic. repullulantes Caluus: aliæ acutæ, ſed ab ipſa

ipſa manu victæ. Prioris generis ſunt pituitoſæ, ſecundi verò bilioſæ: ambæ verò ab ipſo caloris motus modo ſumuntur, vti & ſequentes ambæ. Nam calor aut æqualis ſibi perſeuerat, vt in ſequentibus & homotonis febribus: aut initio languidior, pòſt intenditur, idq́; vel ſtatim vel tandem, vt in pituitoſis: aut initio ardet poſteà miteſcit, vt in bilioſis. Pituitoſæ enim, prima iniectione manus medici in thoracem ægri, non mordaces, nec tactum eius ferientes videntur: quia materia frigida humida igni contraria, ægrè incenditur. Manu autem diutius immoranti, calor accenſæ iam materiæ mordax effluuio fumidi excrementi manum mordet, ſed inæqualiter, magis ſcilicet manus partes quæ poris reſpondent, quàm quæ cuti ſibi continuæ: quomodo ſi per coli aut cribri foramina vapor aut humor calidus proximè manui tuæ occurrat, magis manus partes quæ ſunt è regione foraminum, quàm quæ corpus coli, aut cribri proprium tangunt. Contrà bilioſæ initio & mox, vbi manus eſt corpori admota, ardentes, & acutæ, & motus celeres, ad finemq́; tendentes apparent: cui autem parti manus Gal. libr. 2. Feb. ca. 9.

admota

admota manet, in ea calorem mitigat, & reddit mitem, & ſæpè vaporoſum & madidum. Tertianario enim ſi manum iniĳcis, primo quidem contactu calor copioſus & acer occurrit: ſed paulò pòſt à manu remanente vincitur, in ea ſcilicet parte cui manus eſt admota, non etiam in reliquo corpore. Nam cùm febris omnis pro quantitate tranſpirantium per cutim ſuccorum, larga quidem multùm minuatur, pauca verò nihil aut minimum: fit vt qua corporis parte multum vaporum à putrente materia excitatorum foras per cutim exhalet, multum ibidem febris minuatur. Sed qua parte medici manus temperata diu appoſita manet, ſuo calore moderato febrilem mitigat, & natiuum firmat, & cutim rarefacit: quam vehementior & feruens calor vti & frigus denſat. Igitur hac in parte vehementia febris minuitur. Quapropter & in declinatione febrium tertianarum, vti & diariarum, balneo aquæ dulcis cutim rarefacimus, & excrementorum per acceſſionem vſtorum reliquias digerimus: quæ ſi in corpore vt cineres in foco, retinentur, empyreuma fouent, & quietem impuram reddunt,

Paulus lib. 2 cap. 18.

Calor vehemens vt frigus, cutim denſat.

dunt, & acceſsionis repetitionem accelerant. Hæc quoque febrium duo genera, licet à caloris motus modo præcipuè ſumantur, tamen & febris eſſentiæ, id eſt, calori intenſiori, remiſsiori, & materiæ in qua eſt calor, aliquid ſuæ generationis debent: vti & quæ ſequuntur confeſtim admota manu, & quandiu admota eſt, exardentes ab immodico & non deficiente calore, & copia multa materiæ incendi paratæ, quales ſunt febres æſtiuæ ardentes, & homotoni. Cùm enim quod per cutim expirat, ei quod intus accenditur par eſt ac æquale, & incendi præterea habilis materia eſt multa, fit vt confeſtim ob incenſionis promptitudinem, ex bilis flauæ tenuitate, ardentes manu ſentiantur. Et quia continenter plurimum fit per cutim vſtæ bilis effluuium, fit vt ſemper quandiu durant, ſimiliter ardeant, nec à manu medici vincantur, vt in tertianis antè diximus, & fortè in declinatione febris ardentis accidere poteſt. Vinci quoque eum calorem præter magnum incendium prohibet incendi paratæ largioris materiæ multitudo, quæ, incendio ſemper continuato, calorem à manu medici vinci non patitur.

3 Ardentes.

Gal.cõm.1. in lib.6. Epid.

Ardẽtes quæ acutæ dicantur.

Debiles.

patitur. *Acutæ autem hîc febres vocantur, à caliditate celeriter manui occurrente, & ſuam motionem celerem indicante. Iſtis contrariæ ſemper debiles ſunt, & puſillæ, penituſq; lentæ, vt epialæ, & diariæ multæ, multæ item peſtilentes, tam parum apparentes per vrinas & pulſus, & caloris acrimoniam (quæ tria ſunt ſigna febrium putridarum, inter quas ſunt peſtilentes, maxima) vt febrire negari poſſint: tamen linguæ ſcabrities, delirium frequens, aliarum quoque actionum læſio, & ſæpe criſis per bubonem peſtilentem, aut exanthemata purpurea(purpuram ob id vocant Galli) febrim malignam indicat. Quomodo enim aqua curſu lenta, ſemper habetur ob profunditatem ſuſpecta magis quàm celeris, & homines taciturni actionibus cæteris tardi quàm loquaces quamq; actionibus celeres, malorum authores eſſe magis conſueuerunt: ſic inter has febres lentas, peſtilentes ſunt cacoëthes, & malignæ. Quod autem mox additur in omnibus, & Græcis & Latinis exemplaribus, Et ſiccæ: & in multis citra coniunctionem, luxatum loco ſuo, malè huc tranſpoſitum videtur, quanquam*

debiles

debiles ac ſiccæ febres inueniri poßint, vt lapis parum calfactus. At verò methodum hanc per contraria diuidendi, perfectius ab Hippocrate (à quo eſt perperam ſcriptum nihil, ſi Galeno credimus) ſeruatam oſtendemus, ſi aliæ ad manum humidæ, aliæ ſiccæ legamus, aut ſaltem aliæ ad manum humidæ, aut ſiccæ: vt ad humorum quatuor facultatem humectandi vel ſiccandi naturalem referantur, vt mox dicemus. Quanquam nec malè Caluus ſiccas à debilibus ſeparauit, & illis mox copulauit humidas: ſic, quædam tactu ſiccæ, quædam humidæ. Vtraque enim hæc qualitas, ſiccitas & humiditas, tactilis eſt, vt & caliditas & frigiditas: οἱ δ' ἁλμυρώδεις, aliæ verò ſalſæ ab Hippocrate additur, à multis interpretibus hoc in loco omiſſa particula: quæ reuera ſi addenda eſt, antitheſin aliquam requirere videtur, à ſapore contrario ſumptam, vt, aliæ dulces. Vt à ſapore etiam propinquißimo humoribus in quibus eſt febris accidente, etiam differentiæ ſumuntur. Nam ſanguis, & pituita naturalis eſt dulcis, & in parua putredine dulcedinis aliquid retinent. Adhæc pituita eſt acida, & humor melancho-

Hippocrates perperã ſcripſit nihil.

Salſæ.

lancholicus, & melancholia acida, quæ putrendo nonnihil dulceſcere poſſunt. Salſæ verò à pituita ſalſa dici poſſunt: qualis eſt cauſus hybernus Hippocrati libro tertio rati. victus acutorum. Et quæ guſtu laborantis ſalſæ indicari poſſunt (quod improbat Galenus, quòd tactus notas non guſtatus differentias percurrat) niſi malis ſalſas vocari, quòd ſalis ritu cutim ægri, aut manum medici pruritu intolerabili mordeant: id quod accidit, dum fuliginoſa & multùm vſta excrementa per corporis habitum & cutim feruntur: vt in pruritus cauſis ſcribit Galenus. Iam tertium genus differentiarum febris propriarum, et principalium aggreditur, quæ à materia in qua eſt febris ſumuntur, hoc eſt, ſpiritibus, humoribus, ſolidis partibus: quæ tria, impetum facientia, contenta, continentia vocauit Hippocrates. His enim tribus ſubſtātijs conſtat vna quælibet noſtri corporis pars ſimilaris, & in harum trium ſubſtantiarum quantitate iuſta & qualitate proba, omnis vita conſiſtit Galeno libro nono meth. Spiritibus igitur omnino vitalibus incenſis, & cum his naturali, ſi quis eſt, ac animali, febris fit diaria, quæ Hippocrati

Gal. comm. 1. in li. 6. Epid.

Diaria.

pocrati πεμφιγώδης, *id eſt inflata, ſeu* πνδυματώδης, *id eſt, ſpirituoſa dicitur: vt Galenus hunc Hippocratis aphoriſmum exponens, & libro de expoſitione vocum Hippocratis antiquarum oſtendit, quòd effluuium quoddam aeroſum, & vaporoſum febricitantibus per cutim ſæpius emergit: vel* πεμφιγώδης, *quæ velut exilientium, & manui occurrentium ſcintillarum opinionem immittunt, vel pemphigodes ſunt peſtilentes, cum pemphige ſeu phlyctænis, id eſt puſtulis paruis & vlceribus effloreſcentes, vt Thucydides ſcripſit. Alijs hæ bullantes, phlegmatibus plenæ, affixæ, ſubularum modo tactum ferientes interpretantur, quòd* πέμφιξ *bullam, flatum, ſubulam ſignificat. Sed Galeni interpretationem omnino ſequendam iudicamus: vt diariæ intelligantur, quæ in ſpiritibus incenſis, & , vt poſt probabimus, interdum putrentibus conſiſtunt: quanquam & per* πεμφιγώδη, *id eſt inflatam poſſit intelligi* συνοχὸς *non putris, quam ob id inflatiuam vulgus practicorum vocat, quòd ſanguinis calore febrili feruentis copia venæ omnes plurimùm ſint inflatæ, vt pleriſque etiam ſanis accidit, præſertim*

Bullantes febres.

calfactis, quibus venæ flatu & bullante ſanguine plenæ, dum ſecantur, flatum pro ſanguine reddunt, aut vtrunque. Omnibus quoque præſertim æſtate calfactis vaſa etiam ſemiplena, ſic tamen bullante ſanguine tumēt, vt rumpi periclitentur. Quomodo ollæ aqua ſemiplenæ dum feruent, redundant, & ſuperfluitant. Species ſecunda febrium in materia calori ſubiecta accenſarum eſt aſpectu grauis, ac terribilis, qualis eſt hectica, quæ in ſolidis partibus accenſa carnoſum genus, vbi iam populata conſumpſit, & multò celeriùs ſpirituoſum, corpus ſtrigoſum, & laternæ punicæ modo pellucens, & vix oſsibus hærens, aſpectu terribile reddit: quòd præter cutim & oſſa nihil illis amplius ſuperſit, præſertim ſi eſt hectica maraſmodes. Ob id homines ita emaciati vulgò mortes appellantur, & nos, dum occurrunt, mortis modo, ſeu hominis mortui, terrent: quod ſymptoma emaciationis ſummæ longis etiam morbis contingit, & cauſis cæteris atrophiæ ſcriptis in cauſis ſymptomatôn. Viſu quoque terribiles ſunt febres quædam peſtilentes, & malignæ, alia tamen ratione, quòd ſcilicet his præſertim dum delirant, oculi ſint

Hectica.

Viſu terribiles hectici, vt et qui peſtilenti febre laborant.

ſint cæſij, & minaces, & torua tuentes, & qui, ſi à nobis ſpectentur, nos terreant: quia intenti, fixi, & velut minarum pleni ſunt. Peſtilentes quoque cum phlyctænis ſunt aſpectu graues, ob id etiam πεμφιγώδεες δεινοὶ *quidam ſcribunt, quod de ſolis peſtilentibus verum eſſe dicit Galenus, quales Thucydidi ſcribuntur his verbis: Externum quidem corpus tangenti neque valde calidum erat, neque pallidum: ſed ſubrubrum, liuidum, phlyctænis paruis & vlceribus eſfloreſcens, interna verò ita vrebantur, vt neque veſtes tenues, neque linteorum iniectiones, neque aliud quidpiam vel nudi tolerarent. Sed de hecticarum, & peſtilentium ſignis & ſymptomatis poſtea fuſiùs. Viſu etiam terribiles ſunt bilioſæ, in vigore particulari & vniuerſali, præſertim ante criſin. A materia quoque in qua eſt calor præter naturam febres ſunt humidæ, vt quæ in humoribus ſingulis ſunt, ſynochus vterque in ſanguine, & putris abſoluta in bile, & in ea aliæ, vt in atra bile, & pituita aliæ, quæ omnes humidæ poſſunt appellari, quatenus in accenſis ſunt humoribus, diſtinctæ ſcilicet ab hecticis, quæ in partibus ſunt ſolidis, et à dia-*

Viſu terribiles bilioſæ quando.

Digitized by Google

rijs, quæ ſpiritus occupant. Differunt autem illæ ex putrium humorum varietate, & vario ab his effluuio, ab acribus ſcilicet, acri, à mitibus miti, vt docet Galenus libro ſecundo febr. Quòd ſi cum Caluo humidas à ſiccis diuidimus, humidæ tantùm ſic fuerint, quæ in humoribus natura humectantibus, vt ſanguine & pituita non ſalſa, vt ſiccæ quæ in humoribus vi ſiccante prædictis, vt bile vtraque, & pituita ſalſa: quanquam re vera febris omnis, vt calida eſt intemperies, ſic etiã ſicca. Quapropter Hippocrates victum febricitantibus idoneum vult humectantem eſſe, indicatione à ſicco ſumpta: refrigerationis, quæ calfactionem febrilem expugnet, interim nullam mentionem faciens: quanquam ea ſit primaria febrium intemperies, ſiccitas fortè ſecunda, & à calore febrili excitata. Febris ſiccæ cum lingua principio aduſta, meminit Hipp. lib. III. epidemiôn de Hermocrate. Ne igitur Hippocrates optimus medicus, ergo & optimus diuiſor, differentijs eſſentialibus interponat accidentales, ſiccæ humidis ſunt poſtponendæ, & ſimiliter ſalſæ: & his addendæ, aliæ dulces, aut alio ſapore præditæ. Hecticas autem

Aph. 16. lib. 1.

mox ſubiecit diarijs, quòd hæ inuicem maximè diſtent, vt flammea ſtuppa, & incenſum craſſum lignum: mediæ ambarum ſunt humorales, vt à practicis vocantur. Quæ poſtrema in Hippocratis lectione ſequitur febrium diuiſio, à propinquo diuiſæ rei ſeu potius febriũ ſubiecti accidente, ſcilicet colore, ſumitur, à quo febres ſanguineæ, vt ſynochi, ſunt multũ rubicundæ, vt li. I X. & X I. methodi. Cadunt enim hæ in hominem tantùm multi ſanguinis. Aliæ multùm pallidæ, à larga bile flaua, aliæ liuidæ, à caloris natiui extinctione, vel ſanguinis penuria, vel aduſtione, ob id ſemper malæ ſunt. Rubicundæ et pallidæ tantùm timendæ, cùm ambæ ſint magni & intenſi coloris. Liuidæ etiam ab humore melancholico eſſe poſſunt, vti & vrinæ, & alia huiuſmodi; hoc eſt, etiam candidæ à pituita, buxeæ à pituita putri, nigricantes ab atra bile. Et quamuis à quouis ſapore humorum, et qualitate tactili, propinquis materiæ accidentibus, duci poßint, tamen à colore ſtatim medico ſunt perſpicuæ: qua ex cauſa, etiam ſigna lethalia ex facie prima docuit initio Prognoſticorum. Item, ab accidentibus febri ipſi propioribus,

Sanguineæ febres. **Gal. comm. 1. in lib. 6. Epid.**

Rubicundæ & pallidæ. **Liuidæ ab humore melancholico.** **Buxeæ à pituita putri.** **Nigricantes ab atra bile.**

 inter-

intermittens quotidiana, tertiana, quartana, vera, notha, ſimplex, ſecum vel cum alijs cō-

συνεχὴς multiplex.

plexa. Ad hæc συνεχὴς: *id eſt continens, & hæc multiplex, vt ſemitertiana, cauſodes,* κρυμώδης, τυφώδης, λοιμώδης, ἑλεώδης, *epialæ, ſynochus triplex: & à parte affecta, hepatica, ſplenica, pleuritica, cynanchica, icterica: & à ſymptomate, comatoſa, lethargica, cataphorica. Adhæc diuiſio multiplex morbis alijs communis, febribus quoque attribuitur: vnde febrium hæ acutæ, aliæ longæ: & item, hæ benignæ, illæ malignæ: et item, hæ ordinatæ, illæ inordinatæ: & item, hæ periodicæ, aliæ erraticæ. Ex quibus clarè apparet verba Hippocratis aphoriſtica, & Laconica breuitate ſcripta eſſe admodum fœcunda: quomodo multis in rebus, quædam mole exigua vires habent maximas.*

Hippocr. fæcunda breuitas.

Nec ſolùm breuitate illa mirus eſt Hippocrates, ſed etiam dictorum ordine. Nam primas febrium differentias à febris eſſentia, ſeu calore magno, paruo ſumptas declarauit, quæ reuera maximè ſunt propriæ: poſt has, etiam admodum proprias docuit, quæ à caloris motus modo ſumuntur, duabus coniugationibus comprehenſas: poſtremas,

Duplici nomine mirus Hippocrates.

mas, quæ à materia ſeu ſubiecto, in qua eſt febris, quæ reuera iam magis à febris eſſentia recesſerunt, tamen eſſentiales quoque dicuntur, & ſolæ hæ Galeno his duobus libris, & ad Glauconem priore libro, & in Criſibus ſecundo, & Methodi IX. X. XI. traduntur, cæteris minus anxiè percenſitis: quòd hæ, vt dixi, in has tres ſparguntur. Adhæc cùm breuitas obſcura eſſe ſoleat, & rarò breuis oratio, ſimul ſit perſpicua, tamen Hippocrates eam ipſam difficultatem vicit, fecitque vt oratio hæc breuis admodum ſit & ſimul admodum dilucida. Quapropter rectè Galenus addit febrium diuiſionem in differentias eſſentiales, apertiſsimè ab illo hîc factam fuiſſe, & ab ipſa ſeu cum ipſa διάγνώσει, hoc eſt dignotione, & ſignis cuiuſque differentiæ. Non enim ſolùm apertam fecit diuiſionem, ſed nomina his differentijs impoſuit: quæ ſimul ſigna aut tactui, aut viſui, aut vtrique manifeſta præ ſe ferunt. Mordaces enim & mites, tactum medici vel alterius, atque adeo ipſius ægri afficiunt, illæ valenter mordendo & pungendo halitu igneo, hæ occurſu vaporis blando: deinde non mordaces, ſed increſcentes, & acutæ

Breuis et dilucidus Hippocr.

ſeu

ſeu mordaces, ſed ab ipſa manu victæ, & ſtatim ardentes, ſemperque debiles, & humidæ manu, & ſiccæ tactu deprehenſæ cuiuis etiam idiotæ omnino apparent. Hecticæ aſpectu terribiles, viſu à quouis facilè agnoſcuntur. Inflatæ viſu, & tactu, vti ſæpe humidæ & ſiccæ: illæ cum ſudore, aut madore, hæ ſine vtroq;, tactu quoque non ſolo viſu manifeſtæ. Eadem cognoſcendi facilitas eſt in alijs quoque differẽtijs accidentalibus ſcilicet: nam ſalſæ, & dulces, vel ægri ſapore, vel tactu ægri aut medici prurientes ſalis modo, aut faciles & commoderatæ deprehenduntur, & ſi quæ aliæ à ſapore differentiæ ſtatuuntur. Nam quæ à colore rubicundæ, pallidæ, liuidæ, &c. viſu ſolo dignoſci queunt. Hæc eſt ratio differentiarum febris dignoſcẽdarum per ſigna hæc ſenſui manifeſta, nominibus expreſſa apertiſsimis, quã ſcripſit Hippocrates: à cuius, ceu dei cuiuſdã voce hanc tractationem, vt alias non paucas, auſpicari Galenus glorioſum exiſtimauit. Aliter tertium genus, hoc eſt differentias febris à materia ſumptas diuiſit Galenus libro priore ad Glauconem, tantùm in diariam, putridã, & ſymptomaticam (quæ reuera etiam putri

da eſt) omiſſa interim hectica, quam hoc libro, & lib. X. methodi connumerat. Aliter & initio octaui methodi febrim, ſcilicet cuius cauſa adhuc adeſt febre facta, vt putridam: vel iam deſijt febre excitata, vt diariam & hecticam. Aliter quoque ibidem mox febrim aliam ἐν σχέσει ſeu ſcheticam, quæ facilè ſoluitur, vt diariam, & putridas bilioſas, & hecticam incipientem. Aliam, ἐν ἕξει, ſeu ἑκτικὴν, quæ ſolutu eſt contumax, vt putridam, pituitoſam, & hac magis melancholicam, et omnium maximè hecticam iam abſolutam, et maraſmode: vt in hac diuiſione hecticæ nomẽ latius pateat, quàm prius, dum diariæ & humorali ſeu putridæ febri opponebatur. A febris ſubſtantia, id eſt calore intẽſiore & igneo magis febris mordax, ardens, magna dicitur: à remiſsiore & languidiore mitis, debilis, parua: in quo ſermone quantitatis nomen magnũ paruum, qualitati, id eſt, febri tribuitur abuſiuè: vt in ſimilibus, albedine, nigredine, virtute, vitio, ſcientia, ignorantia, morbo, ſanitate, & alijs permultis fieri ſolet: dum horũ quodlibet magnum vel paruum dicimus, cùm propriè magnum paruum quantitati continuæ

tribuan-

tribuantur, vt multum paucum diſcretæ. Idē Galenus expreſſit lib. I I. componendorum ph. gen. ſcribens, noſcendam medico affectuū nō ſolùm qualitatem, ſed etiam, vt ita dicam,
„ *quantitatem. Nam quantitas de qualitate*
„ *haud ita propriè dicitur: quanquam dicitur tamen febris parua, magna: hæc ille. Febres autem, vt dicta alia, in qualitate habent eſſentiam, ſeu ſunt in prædicamento qualitatis, prima ſcilicet ſpecie, habitu & diſpoſitione, ex diuiſione Galeni lib. V I I. methodi: tertia ſpecie, paſſione & paſſibili qualitate, ex Hippocratis & alijs Galeni diuiſionibus, varijs ſcilicet reſpectibus. Cùm autem hecticam corpus cordis prehendere, & putridam humores in cordis ventriculis conditos ſcribit Galenus, et diariam aerem ſeu ſpiritum vitalem in ijſdem ventriculis præcipuè ſiniſtro conditum, occupare intellige, idque primum febrium eſſe ſubiectum, non autem ſolum. Nam à corde per arteriarum corpus, humores, ſpiritum vitalem, in reliquarum partium ſolidarum corpus, carnoſum genus, ac etiam humores & ſpiritus, facilè febris ſpargitur. Quam rem totam ſubobſcuram exemplis duobus ſenſui maniſeſtiſſimis*

Primum febrium ſubiectum.

niſeſtiſsimis explicat: in quorum priore, Lebes partes ſolidas, quia craſſus, & durus & compactus eſt, repræſentat, aqua autem humores: & ſi addis vaporem ex aqua aut calefacta iam, aut caleſcente adhuc, hic ſpiritus repræſentabit: vti & in poſteriore, latera follis ſolidas partes, aqua folle concluſa, humores, aer attractus ſpiritum: vt ſolidæ partes contineant, humores contineantur, aer & ſpiritus moueantur, impetumq́ue faciant, vt poſt dicetur. Lebes ergo calfactus immodicè, hecticam ſignificat, à qua humores calefiunt & ſpiritus primùm: vt à lebete calido aqua frigida & aer incaleſcunt, & tandem, niſi occurratur, calfacta ſunt. Aqua autem calfacta putridam ſignificat, à qua partes ſolidæ calefiunt, & ſi calidæ ſiccæq́ue ſint, ob id habiles & citò calefieri, & calorem conceptum retinere, promptus erit tranſitus à putrida in hecticam, vt ſi in folle, abiegna aut pinea latera ab aqua feruente incendantur, aer autem calidus ſpiritum vitalem accenſum, hoc eſt, diariam deſignat: & vt aer aquam & latera follis, aut lebetem calefacit, ſic diaria humores & partes ſolidas: Analogia.

que

quæ ſi calefecit, vtpote incendi habilia, humores quidem in putridas, partes verò ſolidas in hecticas tranſire & degenerare intelligitur. Foramina autem follis, per quæ deductis lateribus aerem tracturus eſt fuga vacui, applica igni, aut locis proximis, tractus enim per foramina ignis, aut aer ignitus, aquam follis (niſi glacialis ſit, aut niuoſa, aut aliter alteratu difficilis, ſed potius ob eſſentiæ tenuitatem facilis calefieri) promptè calefaciet, & ipſa latera, præſertim ſi rara ſint & poteſtate calida, vt abiegna, pinea, & ſimiliter reſinoſa vel odorata materia. Auicennas & Arnaldus balnei partes aquam, aerem, aut ollam, aquam in ea, vaporem ab ea comparatione nõ minus familiari & perſpicua adſcripſerunt, idem quod Galenus conantes, & exemplis non abſurdis: ſed follis collatio aptior eſt. Nam is vt cor, & arteriæ, & thorax, & pulmo, dum dilatantur, materias ſequi paratiores, vt aerem fuga vacui trahunt, & ſua ſyſtole aerẽ, & ſæpe cum eo excrementa foras expellunt, quæ motionis geminæ ratio in nullo alio exemplo commemoratur. Sed vt his exemplis naturam repræſentare ſtudeamus, nunquam tamen

men aſſequimur. ars enim naturam imitatur, nunquam aſſequitur, multò minus vincit, vt lib. II. facul. nat. initio docuit Galenus, & mille exempla quotidie perſuadent: & præter hæc, quòd in folle aquam includere integro follis vſu nequeas, nec aërem aqua confuſum, cùm tamen in cordis cauitatibus ſanguis ſit, et cum eo confuſa aerea ſpirituoſa. Ariſt. li. 2. phyſ. cap. 2.

IN CAP. II.

MATERIA in qua eſt febris triplex inuenitur, corpus ſolidum cordis, præcipuè ſiniſtri, ſed & arteriarum & aliorum corporis inſtrumentorum: humores quatuor ipſius ſanguinis maſſam conſtituentes, in ventriculis cordis, maximè ſiniſtro contenti, & arterijs & venis: ſpiritus omnis, naturalis, vitalis, animalis, ſed omnium maximè vitalis, & is præcipuè, qui in ſiniſtro cordis ventriculo continetur & arterijs. In hanc materiã triplicem vt nullo diſcrimine agat calefaciendo, aut etiam putrefaciendo cauſa febris externa vel interna, tamen quæ ex his eſt affici paratior magis & citius patitur, & alterata febrim Materia in qua eſt febris, triplex.

brim ſuſtinet, quam alijs quoque duobus, niſi natura, aut etiam medici opera ſoluatur, tandem impartitur, magna tamen differentia. Nam ſpiritus ob eſſentiæ tenuitatem (qua celerrimè quaquauerſum feruntur, in omniaque quantumuis craſſa & denſa repentè ſe inſinuant) facillimè omnium horum alterantur & caleſiunt, & contra, humores frigeſiunt, et putrent, quòd ad tenuitatem attinet: craſſa & ſolida corpora, vt mediam inter ſpiritus & humores conſiſtentiam habent, ſic & mediam ſortiuntur naturam alterandi. Spiritus igitur à cauſis externis promptè incenduntur, & ob id frequētiſſimas febres ephemeras illæ excitant: cùm verò ſpiritus impensè calfacti, humores & ſolidas partes calefaciant, ſi quod horum erit multùm habile, vt calidum, ſiccum, tenue, ad concipiendum calorem illū, & diutius continendum, à diaria febri in putridam, aut hecticam fiet tranſitus. Sed nomen habet hæc febris ferè ab eo quod primùm eſt incenſum: vt accenſis primùm humoribus putrida fuerit, etiam ſi in eo ſpiritus omnino accenſos eſſe ſit neceſſe: &, accenſis primùm ſolidis partibus, hectica, etiam ſi in hac etiam ſpiritus,

Spiritus tenues facile alterantur.

Craſſa ægrè alterantur.

Tranſitus febrium.

ſpiritus, & humores ſint accenſi. Nam ſi id quod minus videtur ineſſe, ineſt, & id quod magis: hoc eſt, ſi partes ſolidæ incenſu difficillimæ ſint incenſæ, & humores incendi paratiores, et multò magis ſpiritus incenſos eſſe oportet. Tamen hectica vocatur, non etiam putrida vel diaria. Interdum tamen vbi tranſitus fit de miti in magnam, inſignioris nomen alterius appellationem inducit: vt dum diaria tranſit in putridam, etiam ſi in hac ſpiritus maneant incenſi, tamen ſolùm putrida nominatur. Et ſi putrida tranſit in hecticam, ſolùm hectica vocatur, niſi etiã putredo adhuc perſeueret. Tunc enim quia ambæ ſunt inſignes & periculoſæ, vtriuſque nomen retinetur. Ob id Galenus lib. methodi X. ſe putridam cum hectica complicatam deprehẽdiſſe ſcribit. Eſt autem reliqua omnis hectica cum ſpiritibus qui ſunt reliqui, & humoribus etiam reliquis incenſis, idque magna ex parte citra putredinem: tamen interdum et ſpiritus, vt aerem ipſum putrere eſt neceſſe, vti humores ſæpe, & fortaſſe nonnunquam corpus ſolidum: vt in elephante: ſed id, quia diu & lentè fit, ſenſum latet, ob id intra febres putridas non cenſetur partium ſolidarum putredo. In vno-

Axioma.

Spiritus vt aer putreſcere poteſt.

quoque igitur genere trium materiarum, cõſtat inceņſionem fieri poſſe duplicem: vnam ſine vlla putredine olida, alteram cum putredine: quæ quia humoribus ipſis creberrimè accidit, ob id in his etiam ſolis febrium putridarum genus Galenus, & plerique alij collocant. In ſpiritibus etiam practici, vt alibi docemus, & in ſolidarum partium putredine olida, (nam & elephantici halitu & tranſpiratione omnium fœdiſſimè olent) cur febrem non collocarint diximus.

Humores etiam ſine putredine incenduntur.

Humores verò etiam ſine putredine incẽdi poſſe oſtendit ſynochus ex ſanguine tantùm immoderatius calfacto, non putris, ad quatuor, quinque, & plures ſæpè dies perſeuerans, vt, libr. meth. I X. & X I. docet Galenus. Oſtendunt & hecticæ omnes cum putridis non complicatæ, quæ maxima turba eſt, cùm raræ ſint cum putridis coniunctæ: ob id à Galeno, vt res rara & cognitu difficilis lib. X. methodi recenſetur. In illis enim hecticis humores quatuor eſſe calefactos, nõ amplius caleſcere vel ex dictis eſt manifeſtum.

Continẽtia σχόντα.

Quam autem harũ trium materiarum appellationem fecit Hippocrates ne tibi vulgaris eſſe uideatur, ſed potius magnarum virium, & quæ à ſummo omnium artifice impoſita

poſita ſit, paucis interpretanda eſt. Continentia imprimis vocat corpus ſolidum cordis, arteriarum, & aliarum partium ſimiliter cauarũ, et aliquid ſuo in ſinu concludentium: quomodo & Galenus lebetem & follem, quibus corpora hæc ſolida innuebat, cõtinentia appellare potuit: vti aquam contenta, & aerem impetum faciẽtia. Sed hac ratione appellatio Hippocratis paruarum fuerit virium. Ob alium igitur finem, acerrimo vir ingenio Hippocrates, ſolidas partes ipſas cõtinentia vocauit: quòd hæ ſint totius naturæ & reliquarum duarum materiarũ baſes, radices, fundamenta. Nam in ipſis ſingulis ſubſtantia ineſt triplex, verè ſolida, et ipſam ambiens, muniens, fouens, carnoſa, & per vtranque ſparſa ſpirituoſa: in quarum trium ſubſtantiarum, & maximè in ſolidæ quantitate idonea, & iuſta qualitate ſeu temperamento, vitæ primùm robur & firmitas reſidet. Hæc ob id corporis ſolidi ſubſtantia omnium maximè continet, ac regit reliquas duas, & huius præcipuè beneficio corpora ſolida dicuntur Hippocrati continentia. Porrò ſubſtantia hæc triplex in benè carnoſis partibus ſolidis eſt plurima, quarum ſpirituoſa in morte diſſoluitur, & in aerẽ

Subſtantia triplex in ſingulis tribus corporibus.

Bene carnoſi.

In morte ſpiritus vaneſcit, in auras.

vaneſcit: aut ſi intus manet, extincta & calore ac motu genuino deſtituta ſenſum latet, niſi quòd animalis in aquam & ſæpè vitalis denſeſcere videtur mortuis: reliquæ duæ adhuc integris proximæ manent, quod ad molem attinet. Nam calor viuificus & tẽperies pereunt, ſicq; earum qualitas mutatur, quantitas autem integra manet, ſi exceperis quantum calor & ſpiritus abiens vtriuſque ſubſtantiæ ſecum rapuerunt. Adde quòd videntur etiam minui quando à ſpiritu amplius diſtendi non videntur: quod in corporibus & oculis ſenum & moribundorũ maximè apparet: cùm adoleſcentum & reliquorum bene habitorum, paſtorum, calfactorũ, corpora ſpiritu non diſtenta ſolùm, ſed etiam lucida ſint. Hac igitur ratione Hippocrati corpora ſolida, ſunt rectiſsimè vocata continentia, nõ ſola continentium reliquas analogia. Sic tamen quodammodo & humores continentia vocari poſſunt. Nam & his ſua triplex ſubſtantia, præſertim ſanguini toti, in quo fibræ, quarum occaſione concreſcit refrigeratus: & humida portio ac fluxilis, præterea ſparſus per vtrãque ſpiritus. Sed hanc vim à ſolidis corporibus acceperunt. Nam ventriculi ſolidum corpus trahit, retinet, coquit, expellit, carnoſa ſubſtantia ſua,

Humores etiam continentia vocari poſſunt. Aph.7.li.2. Gal.

Ventriculus quidpræſtet.

& ſpiritu calido adiutus. Eadem hepatis ſolidum corpus præſtat, ſuis duabus alijs ſubſtātijs adiutum. Sic & cordis ſolidum corpus dilatatum facultate pulſifica ipſi ſolido corpori à natura inſita, trahit, retinet, coquit ſanguinem, expellit excrementa, vt ſolidam ſubſtantiam duabus alijs adiutam ſimiliter intelligas. Nam internum cordis corpus ſanguinem ſpirituoſum ex dextro ventriculo in ſiniſtrum trahit: externum verò, quod eſt interni veluti operculum et munimentum, ex vena coronaria tractum ſanguinem corpus internum ventriculi alterat, & coquit non ſibi ſoli, ſed & toti corpori, vt ſit in id ſpiritus & caloris ceu vehiculum. Eadem ratione in cæteris partibus organicis. Meritiſsimo igitur iure corpus ſolidū continens vocauit Hippocrates, vt fæcem vini vinoſam & ſpirituoſam eius ſubſtantiam fouere videmus. Sanguinem autem humores reliquos complexum, contentum, quamuis, vt dixi, & contineat, & regat ſpiritum: ſed tam imbecilliter vt verè nihil regere videatur, ſi ad ſolidorum in id regimen firmitatem ſummam ſpectes. Quid, quod & ſanguis ſpiritus regendi & in vita continendi facultatem ab ipſo corpore ſolido accepit? Hac

Hepar.

Cor.

Contenta ἰσχόμενα.

ergo continendi ſignificatione, non ſolum contineri dicenda, quæ ſinu aliquo, & cauitate clauduntur, ſed quæ ab alijs gubernantur, in officio continentur, in vita perſeuerant. Quo ſignificatu, & præceptor diſcipulos, & imperator milites continere ſæpè à doctis dicitur. Supereſt de impetum facientibus dicere, cur ita appellatione aptiſsima & rei naturam omnino exprimente, appellauerit Hippocrates. Impetum faciunt ſeu motus excitant ſpiritus in nobis ſinguli: nã attractionem, retentionem, coctionem, nutritionem, expulſionem naturales: pulſationem, vitales: ſenſionem, motionem, et actiones principes, ipſi animales ſpiritus efficiunt: & quò ſinguli ſpiritus ſunt firmiores, & (vt ita dicam) habitiores, largiores, tenuiores, calidiores, eò plures & vehementiores, & celeriores, & crebriores impetus edunt. Ob id fœtus mas, prius quàm fœmina, in vtero mouetur, & frequentius, & velocius, & valentius, vt mulieres, etiam à fœtu mutatæ, quotidie teſtantur, & nati ſimiliter. Quanquam in maribus & fœminis minus & magis latè patent: ſunt enim fœminæ quædam, quibuſdam maribus mobiles magis. Adhæc per ætates, per anni partes, per

Impetum facientia, ἐνορμοῦντα.

Fœtus mas quare prius quàm fœmina in vtero moueatur.

alimentorum et medicamentorum qualitatem, quantitatem, tempus, hi mouentur magis, illi minus: vt poſt latius interpretabor, cùm ſpiritus naturalis & vitalis impetus abſoluero: vt interim tamen cum ſpiritus dico, hos vel illos impetus naturales, vitales, animales facere, intelligas inſtrumenta eſſe cum ſuo calore præcipua, ſuam tamen illam vim aliundè mutuari, à corpore ſcilicet ſolido hepatis, cordis, cerebri. Naturalis itaque ſpiritus cum calore iunctus, inſtrumentum eſt, cuius beneficio vis ventriculi, hepatis, partium cæterarum, familiare attrahit alimentum, retinet, & totum promptè permeando percoquit. Eiuſdem ſpiritus impetu, cerebrum, cor, ventriculus, partes cæteræ excrementis ſe purgant ac exonerant: vt liceat interdum videre ac audire maximum ventriculi nõ mugitum modò, ſed etiã impetum, quando nauſea, ſingultu, ructu, vomitu moleſta per os vacuat: & inteſtinorum quoque uis eadem apparet, cùm plerique expellendi ſtercoris vehementia, etiam longulè diſsitos parietes concacent. In vtero etiam non eſt obſcura in multis partibus, manifeſtior in veſica, quæ etiam lotium per ſe longiſsimè ſæpe iaculatur, vt altos parietes trãſ- Spiritus naturalis munus.

 uolet,

uolet, etiam ſine vllo muſculorum octo epigaſtrij & thoracicorum auxilio: fibris tamen ſuis multùm iuuantur, quibus fibræ inſunt. Eadem apparet manifeſtè in morborum ex fluxione generatione, in criſibus quoque, & alijs quamplurimis. Hinc qui creſcunt, quia plurimũ habent calidi innati, plus alimenti requirũt. Nam adoleſcentes, & qui creſcunt reliqui, ferre ieiunium nequeunt, & minus inter hos pueri, præſertim qui inter ipſos ſunt viuidiores. Horum præterea ſpirituum robur, in proba nutritione actionum naturalium ſine quodam apparet, dum corpus bene habitum, coloratum, vegetum, floridum, roſeum exiſtit. Vis eorundem ſpirituum in venereorum, cibi & potus cupiditate, & venere obeunda cernitur: ad quam & vitales & animales quoque ſunt neceſſarij. Impetum ſpirituum vitalium, præter gloriæ, honorum, vindictæ, & aliorum huiuſmodi magnam cupiditatem, oſtendunt cordis & arteriarum pulſus, id eſt, diaſtolæ ſeu dilatationes, & ſyſtolæ ſeu cõtractiones, ab ipſo quidem corpore cordis, ſeu facultate ipſi inſita profecti, ſed ſpirituum miniſterio abſoluti, & continuati. Hinc pulſus vehementes, magni, celeres, crebri, magnos impe-

[Margin: Apho. 14. lib. 1.]

[Margin: Spirituũ naturalium robur vnde colligatur.]

[Margin: Spiritus vitalis.]

[Margin: Diaſtole, Syſtole.]

tus

tus declarant, paruos contrarij: & illi calorem multum ac pulſificæ facultatis robur, organiq́; obedientiam declarant: hi contraria, vt abundè in libris pulſuum docuit Galenus. Cerebrum denique per ſpiritus animales impetus edit omnium vehementiſsimos, nobis videntibus, audientibus, olfacientibus, guſtantibus, tangentibus: magis tamen aliquam partem pro voluntate mouentibus: vt hinc tantùm animal quod uis ſentire ſaltem tactu, & per ſe moueri dicatur. Impetus verò ſui celeritatem indicat is ſpiritus, dum tam repentè dormientibus, timentibusq́ue in cerebrum recipitur, & per lipothymias: aut à cerebro in mẽbra omnia velut euolat expergefactus, metu ſolutus, reuocatus, cùm per neruorum ſpiracula ſenſum fugientia penetrat, & permeat, vti & ad cor per arterias reuolare interdum vitalis ſentitur in carpis, appetente ſuffocationis periculo ex mica panis, vel ſimili in aſperam arteriam delapſu. Porrò eius ſpiritus impetuum mutationes quotidie maiores fiunt quàm aliorum, vti & ætatibus, & alijs ſingulis corpora noſtra alterantibus aut vacuantibus. Quia hic ſpiritus animalis impetibus ſuis, & multis, & magnis continenter diſſipatur,

Spiritus animalis.

ſipatur, apprehendendo, ratiocinando, recordando, ſentiendo; mouendo: vbi verò dißipatus elanguit, vires quoque ipſius ac impetus languent: vt famelicis, vel aliter quouis modo vacuatis, & non repletis in horas accidit: quibus dum ſpiritus cibi & potus vapore, vel etiam odore ſunt inſtaurati, mirabiles impetus edunt, & dum illa ſpiritus largiores vapore multo, et tenuiores, & calidiores inſtaurant. Hinc vehementia quoque ſpirituum creſcit. Nonne vides ieiunos ad actiones omnes tardos? vbi verò cibo & potu vaporoſo, calidóque ſe impleuere, nulla mora ſpirituum impetus exurgunt & emicant. Quò fit, vt qui vino ſe generoſo & vaporoſo calidóque impleuerit, lingua, oculis, manibus, pedibus, reliquis partibus motus edat nō expectatos, nec ſolùm facultatis animalis, ſed vitalis quoque, & naturalis. Hinc pulſus mutantur ab alimento, & appetentia creſcit edentibus. Sed horum ſpirituum impetus, non à copia tantùm, ſed calore, tenuitate, ſubiecti ipſius corporis raritate plurimùm iuuantur: vt pueris, adoleſcentibus, & ætate florentibus ſunt plurimi, declinantibus pauciores, ſenibus paucißimi, præcipuè decrepitis: quòd ij ſpiritus ex

Ieiuni tardi ad actiones.

Vnde iuuentur ſpirituũ impetus.

cibo

cibo coćto prodeant, præſertim ſpirituoſo. Ad hæc æſtatę quia fuſi magis, & tenuati, corpúſque rarius, ſæpe tanto impetu foras mouentur vti & per gaudium, vt in aerem ambientem effuſi, corpus exanime relinquant, aut ſaltem ſemianime: hyeme velut concreti, ac frigore coaćti, ad motus ſunt inepti: id quod omnes quotidie experiuntur, vt animalium hyeme in terræ latebris ſemimortuorum exemplo nihil ſit opus. Ex horum ſpirituum impetu maximo, Ebrietas ſpes iubet eſſe ratas, ad prælia trudit inermem. Hinc, Venter plenus eſt leuior, grauis idem vbi pendet inanis, vt dicebat Heſiodus. Hinc, Nulla placere diu, nec viuere carmina poſſunt, quæ ſcribuntur aquæ potoribus. Hinc, homines cibo, potuque pleni, varios miſcent ſermones, antè omnino tacentes: exemplo ventriculi, qui preſſus non ſonat, niſi flatu antè ſit diſtentus. Latiſsimè ergo patêre impetum facientia hinc colligas licet, & quòd hi etiã contentorum nomine venire poſſunt, quia, vti humores, ſic & ipſi à corporibus ſolidis continentur, & gubernantur, et conſeruantur. Sed tamen aliud nomen meriti ſunt, non modò quia non ſemper continentur, vt qui ſæpe foras euagati,

gati, aut tardiùs, aut etiam nunquam reuolant, accipitrum quorundam malè doctorum aut ira torum modo: verumetiam quia impetum face re multò eſt dignius, & animalis eſſentiæ connatum, quàm contineri. Spirituum enim motū in ſenſoria, & neruos, muſculos, tendones, ſequuntur ſenſus & voluntarius motus: ambo aut ex animalis eſſentia, aut eſſentiæ proxima.

Sẽſus et motus voluntarius vnde.

Nec ſolùm partes ſolidæ continent, ſed etiā continentur, & reguntur, & conſeruantur ab humoribus & ſpiritibus ἀντιπελαργεῖν, *& retaliare velut affectantibus. Nam humores partẽ ſolidam nutriunt, adiuuantibus in id multum ſpiritibus, qui per humores, & ſolidas partes perfuſi, humoribus ipſis in corpus ſolidum penetrandi aditum præſtant. Sunt & præter ſpiritus,* ψευδοπνεύματα, *flatus à calore imbecillo & humore craſſo, crudo, producti, ſpiritus propter cognatam ipſis naturam (ambo enim vaporoſa ſubſtantia conſtant) mentientes: ſed flatus motu errabundo, & incerto, non citra moleſtiam huc illuc feruntur: nunc in ventriculum & inteſtina, vbi colici & cœliaci dolores: nūc in veſicam & vterum, vnde, magna illarum partium extenſione, tormina: nunc in venas et*

Flatus.

Colicus & cœliacus dolor vnde.

Tormina.

arterias,

arterias, vnde obſtructiones hepatis, lienis, renũ, ſæpe prodeunt: nunc etiam in cor, vnde ſyncopæ multis accidunt: nunc in cerebrum, vnde ſcotomata, vertigines, tinnitus, & alia permulta Hippocrati ſcripta libro de flatibus: cùm ſpiritus ipſi vix vnquam ſint moleſti, niſi ſi aucti, aut minuti, aut ſiccati, coacti, & velut congelati non ſatis ſuo officio perfungantur: vt ſint flatus tanquam maligni quidam & noxij ſpiritus, non vt ſpiritus abſolutè dicti ſemper ex ſua natura benigni ac benefici. **Obſtructiones. Syncope. Scotoma.**

IN CAP. III.

CAVSAS aliquot procatarcticas, id eſt, (vt ſic dicam) præincipientes, primitiuas, & eaſdem externas recenſet, quæ internas mouent & alterant, ad febrium diariarum primã generationem: quas omnes reducere oportet ad aliquam ex cauſis quinque morborum calidorũ, motum corporis aut animi immodicum, ſuppreſſionem calidi effluuij, putredinem, (quæ etiam in diarijs ex bubone locum habet) contactum calidæ ſubſtantiæ, permiſtionem, vt poſteà clarius fiet. Ad laßitudinem verò motoriam reducere **Cauſæ procatarcticæ quæ. Motus corporis et animi immodicus. Putredo. Contactus corporũ calidorum. Laßitudo.**

cere

cere potes oppoſitam quietem, ſeu conſuetudinẽ exercitationis omiſſam: nam in omni corporis motu, vbi laborare cœperit, quies: ad inſomnium, quæ eſt dormiendi impotentia, vigiliam ſpontaneam: ad temulentiam ſitis, ad ſatietatẽ fames priuatiuè oppoſita (quæ duo cauſis diariæ externis accenſet Auicennas) etiam reducenda, quòd corpus per has cauſas non nutritũ, nec inſtauratum, nec humectatũ, calorem quendam ſqualidum concipit, & deinde febrilem, in his qui inediam ferre diutius nequeunt. Qua etiam ex cauſa picrocholi ex inedia in diarias incidunt, et ex his in hecticas, vt lib. meth. VIII. & IX. docet Galenus. Aer præterea calidior ſiccior, qualis per κυνοκαύματα & dies caniculares, tum inſpiratus, tum cutim contingẽs, & per eius poros ab arterijs dilatatos tractus, corpora quoque noſtra reddit calidiora & ſicciora, & ob id febribus opportuniora: præſertim quæ antè iam naturâ erant calida ſicca, vt canum, præſertim nigrorum, corpora: ob id per illos æſtus ſyrios, & caninos, in febrim ardentiſſimam, quam rabiem vocamus, promptè incidunt, ſuaque ſpuma ſimilem homini, præſertim calido ſicco, et alijs animalibus, febrim tandem

Vigilia. Temulẽtia. Sitis. Satietas, fames. Aer calidior. Canes in rabiem quãdo incidunt.

dem accerſunt, & impertiuntur. Quomodo et hominis biliosi, & ieiuni ſaliuam alteri eſſe venenoſam docet Galenus, lib. de tumoribus præter naturam: multò magis ſi is febre ardente vratur, per quam ſi eò incendij procedere poſſet quo canes, & canum rabidorum modo fureret, & alios dentibus, calcibus, impeteret: & mirum ni morſus eorum in alijs febres excitaret: vt ſaliua febricitantium calici ex quo bibunt af fixa, contactaque, alios febrire paratos febri afficit, & expiratio, & cum his decubitus. Tota etiam ſubſtãtia ſua aer corruptus, putris, qualitatem quandam venenoſam, peſtilentem, & corruptricem acquirit: qua corpus noſtrum, vt deleteria, & venena plurima immutat, dum in corpus trahitur, inſpiratu præſertim, ſed etiam tranſpiratu arteriarum per poros cutis. Qua de cauſa, & eo caſu, ignibus odoratis, aeris putredinem conſumi & corrigi docuit Hippocrates, & quibus in aere peſtilenti verſandum eſt ore, caryophyllum, acetum, fœniculum viride, & eius generis alia gerunt, vel identidem odorãt; vt aeris putredinem odoro vapore corrigant; et partes principes eodem vapore roborent, & aſtringendo viarum amplitudinem aeri noxia prohibeant.

Hominis biliosi & ieiuni ſaliua venenoſa.

Aer corruptus.

prohibeant. Hac etiam ſine veſtes benè odoratas gerunt, & frequenter mutant, ne vapor putris in his conceptus & concluſus, ab arterijs per cutim intro trahatur. Quò ſit etiam vt mulieres & ſenes, & qui cute & habitu toto ſunt denſiore, minus in aere peſtilente periclitentur, iuxta Hippocratis ſententiam, affirmantis denſa corpora internis morborum cauſis patêre magis, externis minus: rara, contra. Contagionē quæ nobis ex aeris peſtilentis vſu communi contingit, explicat exemplis quatuor affectuum etiam contagione in alios affici paratiores ſerpentium. Nam ſunt naturæ quædam, vt à peſtilentia, ſic ab his affectibus tutæ magis: vt qui cute ſunt denſa & dura, ægrè & vix diu ex decubitu cum pſωrico pſωram contrahent, niſi ea ad modum maligna ſit, aut etiam ſcabies Neapolitana hodie vulgaris. Per pſωram omnes pruriginoſos affectus, achoras malignos, ſcabiē Neapolitanam intellige. Hi enim omnes etiam ſunt cōtagioſi. Intellige & lepram tum Græcorum tum Arabum vulgarem. Item ophthalmia tōſores, & malo curando aſſuetos & obduratos non lædit aſpectu. Sic nec tabidi omnes ſecum verſantes tabe afficiunt, ſed eos tantum, quibus

Cōtagio ex aeris peſtilē tis vſu.

Pſωra.

Scabies Neapolitana.

Lepra.

Tabidi quos lædant.

ſunt

ſunt pulmones ad erodendum aptiſsimi. Nec ha
litus teter cubiculi in quo elephantici viuunt, ru
ſticos duros, excrementis vacuos tam promptè
mutat, & in elephãtiam præcipitat, quàm mol
les, delicatos, multi ſanguinis, & putredinoſos
& excrementoſos. Ophthalmia contagioſa pro Ophthalmia quare contagioſa.
pter ſpiritum viſorium foras emiſſum: vt oſten
dunt menſtruatæ mulieres ſpecula inficientes, et
corruptum à ſpiritu ophthalmico, ob id eminus,
& parũ diu, & per conſpicilia & oculis aqua
frigida lotis aſpiciunt. Sunt porrò affectus hi
quatuor ψώρα, ὀφθαλμία, φθόη *ſeu* φθίσις *&*
putredinoſus, aut iam putris corporis habitus,
qui contagione corpora alia, ſed (vt dixi) affici
paratiora ſimiliter afficiunt: nec hi ſoli, ſed etiã
febres magna ex parte pueris in eo aere verſan- Febres pueris contagioſæ.
tibus ſunt contagioſæ: rarò grandioribus, niſi
ex decubitu, aut etiam colloquio multùm pro-
pinquo, vt tranſpiratu aut inſpiratu effluuium
febrilis corporis putre & mordax hauriãt. Cur
autem affectus hi cõtagione ſerpant in affici pa
ratos, non in omnes, vt dixi, cauſam affert A-
riſtoteles problemate IIII. ſectionis ſeptimæ:
Quòd oculi multùm mobiles & mutari faciles, »
ob id dum perturbatum reſpicit oculum oculus, »

d *promptè*

„ *promptè & ipſe offenditur : Vel, quoniam oculi*
„ *ſani affectus temperies eſt, inflammati intempe-*
Alexand. Apho.lib. 1. probl. 36. *ries: hæc autem cùm immoderatio ſit quædam, vt intemperies mediocritas, facilè temperiem commutat, non contrà : ob id ſanus oculus lip-*
„ *pientem viſu non ſanat. hæc ille. Sed quid? ſi multò maior ſit phlegmone in alia aliqua corporis parte, oculum ſpectata non inflammat: ergo tacitus quidam, vt totarum naturarum ſic partium inter ſe conſenſus eſt, vel toti ipſarum ſubſtantiæ acceptus referendus, vel cauſæ incognitæ: de qua et Aphrod. initio Probl.* Phthiſici. *Qui verò phthiſi, hoc eſt, vlcere pulmonum laborant, propter vlceris et pulmonum putredinem, quod expirant non modò grauiter olet ob putredinẽ, ſed ex eadem acrimoniam quoque retinet, quæ pulmones à catharris acribus, & cauſis alys ſimilibus erodi promptos, ob naturalem ſuam teneritudinem ac mollitiem, erodit, & phthiſin quoque excitat, præſertim quibus collum longum, humeri, et thorax reliquus eſt anguſtior. Talis enim natura et corporis forma Hippocrati eſt ad phthiſin opportunior. Expiratio igitur phthiſici pulmones aliorum afficiet paratos affici, non cerebrum, in quod expirationis portio*

minor

minor effertur. ψώραν, prurientem cutis affe- ψώρα.
ctum cum humore glutinoſo, quàm lepră, quòd hæc ſicca ſit, & ſimilia cutis vitia contagioſa, magis ſcribit Ariſtoteles problemate prædicto. Conſuetudo exercitationis omiſſa febres non dia- Cōſueta exercitatio omiſſa febres parit.
rias ſolùm, ſed ſæpe putridas excitat, quòd tunc nec partes ſolidæ roborantur, nec excrementa vacuantur: & calor natiuus non inauctus torpeſcat: quæ alia proferat incommoda poſterius audies. Quænam diſpoſitio ſit, ex qua febricitamus, capite ſequente fuſiùs inquirit: ignota autem fuit hæc Empiricis medicis, morborum na- Empirici.
turam omnino negligentibus, contentis autem ad morborum cognitionem ſyndrome & congerie ſymptomatum: ad curationem verò remedijs longo vſu, tum à præceptore, tum à ſe probatis, efficacibus in hoc affectu, vel ſimili. Alij autem opinione tantùm et exiſtimatione ducti, diſpoſitionem hanc ignorant, quia ratione illam inuenire nequeunt per ſumptiones, & propoſitiones demonſtratiuas, hoc eſt, veras omnino ac De his Ariſto. lib. poſteriorū & Topicorum.
neceſſarias: quibus ſolis res inueniri rectè poſſunt, & an veræ ſint explicari: non autem per propoſitiones tantùm dialecticas & veriſimiles, quæ nihil veri, aut inuenire, aut demonſtra-

re poſſunt. His autem quid facias, præſertim ſi præter inſcientiam illis adiuncta ſit inſolentia: cùm indelebile ſit vitium ignorantia, præſertim ſi cum ſuperbia coniuncta ſit. Supponimus cum Hippocrate, & ipſius ſectatoribus tum Philoſophis, Platone, Ariſtotele, tum medicis Galeno &c. calidum, frigidum, humidum, ſiccum, eſſe rerum omnium mundi huius inferioris elementa, & ex horum quatuor proba & cuiuſque actioni aut vſui iuſta miſtione, partium ſimilarium ſanitatem, iniuſta autem morbum earum proprium. Ergo febris intemperies calida per ſe, & ſicca poteſtate, partium ſimilarium morbus eſt proprius: ſpirituum ſcilicet diaria, humorum putrida, ſolidarum partium hectica. Ergo ſpiritus et humores ſunt partes ſimilares, vt etiam Ariſtoteles docet lib. hiſt. anim. Cordis autem partes, prima ſunt febris ſubiecta vnde in corpus reliquum promptè diſtribuitur, niſi impediatur: vt frigore per initia acceſsionem partes extremas occupante, & nimis denſante. Ob id rectè hoc loco addit Galenus, febrim eſſe intemperiem calidam, ſeu calorem quendã præter naturam in corde exiſtentem, non ſolo quidem, ſed maximè, ac inſigniter, & primò:

Li.meth.13.

cùm

cùm ſcilicet ipſius cordis vel corpus, vel ſanguis, vel ſpiritus igneam caliditatem ſuſcipit. Quo loco Galenus comprobat febris aliam definitionem ſuam: quòd ſcilicet febris calor ſit natiuus verſus in igneum. Manifeſtè enim locus hic ſignificat in omni febre diaria, putrida, hectica, natiuum calorem ſpirituum, humorum, partium ſolidarum igneam caliditatem ſuſtinere: ſeu ignitum magis et ardentiorem euaſiſſe. Id quod in diarijs & hecticis facilè quis fortaſſe admittet: in putridis autem, nouum quendam ex putrente materia calorem natiuo aduenire, illi iungi, & dominari ſæpe: vt iam pro caloris natiui imperio aut dominio nihil coquatur, ſed omnia corrumpantur, à vincente, & veluti tyranno calore hoc putredinis externo. Sed tamẽ vt calorem alium foris natiuo accedere recipiamus, tamen ſic non fiet, quo minus & calor natiuus externi contactu aut miſtione, igneus & acer euadat. Nec tu putes cum Marſilio de ſancta Sophia, & Gentile Fulgineo, & alijs quibuſdam Arabicæ ſcholæ proceribus, febrim calorem tantùm eſſe naturali prius nos regenti ſuperadditum. Nam in omni febre calorem natiuum eſſe verſum in igneum, ſeu quandam cali-

Lib. 1. apho. Libr. rati. vict. acut.

Arabum de calore febrili opinio improbata.

ditatem igneam adeptum certum eſt: id quod & in diarijs apparet ab æſtu, & laſsitudine, et alijs cauſis externis. Nam ſolis æſtus caput calefacit, id collum, id thoracem, & cor: ſic labor articulos, hi ligamenta, hæc tendones, hi muſculos venasque in ipſis & arterias, hæ cor, & id mox totum corpus. Is autem calor, tum ſolis, tum laboris quàm ſit noſtro ſimilis, & familiaris oſtendit noſtri caloris quotidianum et propè perpetuum ex vtroque illo incrementū. Dum autem vterque eſt immoderatior, & noſtrum quoque contactu, ac miſtione immoderatiorem ac planè febrilem reddit. Eſt igitur febris omnis calor natiuus in igneum verſus, etiamſi calor alius, in putridis præſertim illi accedat: vt in æſtu, & labore, calor dictis partibus impreſſus vehementior, irrigatione ex oleo roſaceo, & ſimilibus eſt extinguendus, ne febrem foueat, hoc eſt, natiuum incendere, & ignitum reddere perſeueret. Qua ex cauſa, etiam in putridis febribus plurimum per cutim caloris putris cum vapore, & reliquo putrentis materiæ effluuio, excerni optatiſsimum eſt: cum pro huius vacuationis copia febris minuatur, quia neque talis, neque tantus calor putredinoſus natiuum accēdit. Omnium tamen febrium generationem, ſiue in

corpore cordis, ſiue in humoribus, ſiue in ſpiritibus, calor igneus eſt primus accenſus, hoc eſt, ſiue febris ſit hectica, ſiue putrida, ſiue diaria, præcedunt cauſæ aliquæ omnibus manifeſtæ: laſſitudo, ira, mœror, &c. quarum obſeruatio cũ ſymptomatum congerie Empiricis febrium cognitionem parit, & curationem nonnihil adiuuat. Dum enim ſcit Empiricus ex cauſarum externarum & ſymptomatum obſeruatione talem eſſe febrem, tali autem febri talia habet vſu multo probata ſalubriter remedia, quæ illi quoque adhibet feliciter ſæpe, ſæpius ſucceſſu nullo. Empiricis nõ minus ignorant Theſſalij amethodi, qui ſe methodicos appellarunt, in quos Galenus in methodo paßim debacchatur. Methodicus autem ſeu dogmaticus & rationalis medicus ipſas quidem cauſas externas inquirit, non quòd ab his ad curationem iuuetur, aliquámue ſumat indicationem (cum hæ iam deſierint, ab eo autem quod amplius non eſt, nulla ſumitur curandi indicatio) ſed quòd ex harum cauſarũ externarum obſeruatione, intelligat quænam ab harum ſingulis diſpoſitio in corpore eſt relicta, quæ febrim genuit, ac fouet, quam diſpoſitionem (vt quæ cauſæ morbum gignentis, vel

Empirici.

Theſſalij amethodi.

d 4 fouentis,

fouentis, vel augentis rationem obtineat) tollere oportet, cùm nullus affectus curari poſſit manente in corpore cauſa quæ ipſum excitauit, adhucq́ue excitat. Ergo hanc diſpoſitionem abigit rationalis medicus. vt ſi diaria eſt ab æſtu, caput raſum roſaceo fouet frigido, vt capitis ab inſolatu calorem relictum extinguat: ſi à cutis cõſtipatione, balneo vtitur aquæ dulcis quòd cutim laxet: ſi à laſſitudine motoria, quæ hanc mitigent articulis præcipuè admouet: quorum nihil Empiricus inquirit, aut curat, contentus remedium ſæpe probatum adhibere, cuius tamẽ vires omnino neſciat, vt ignorat quoque morbi cui adhibet eſſentiã. Quo fit, vt ſi quando proſit tale remedium, fortunæ, non arti ſit adſcribendum. Rationalis autem artifex diligenter primùm inquirit, quæ cuiuſque morbi ſit eſſentia, & ad hanc omnino cognitam, omnium remediorum inuentionem dirigit: vt, quòd febris diariæ eſſentia eſt in ſola ſpirituum intemperie calida, & per accidens ſicca, omnium remediorũ, quæ ſumenda, admouenda, educenda, facienda erunt, vim ad refrigerandum & humectandũ comparabit: quanto ſcilicet receſſu ad calidita-

Rationalis medicus.

tem,

tem, ſiccitatem, ſpiritus per febrem illam abierint. Cuius febris ſi cauſa adhuc præſens eſt, eã abigit priorem, niſi morbi vehementia etiam tũ ſui rationem haberi cogat, vt in cæteris affectibus complicatis. Ex ipſa verò morbi natura, & eſſentia iam cognita non ſolùm curationis rationem inueniet & idonea remedia medicus rationalis, ſed etiam quod effectum erit omniũ remediorum, ſeu quid cauſa morbi, & morbus à ſingulis ſuis remedijs patietur, præſentiet, ac ſi volet, prædicet. Prognoſtica à prorrheticis differunt Hippocrati, & Galen. in Prorrheticis. Præterea ſi quæ ſymptomata huius, vel illius remedij vſum ſequentur, præuidebit, ac in tempore proſpiciet. Vt quod huic medicamento purganti comes aderit nauſea, vt agarico: aut flatus, vt caßiæ: aut roſio, vt ſcammonio: aut tormina, vt ſennæ: quòd hanc vacuationem vt largam purgationem, aut ſanguinis mißionem, virium imbecillitas, & fortè lipothymia ſequetur. Quibus omnibus occurrit, dũ agarico zingiber, caßiæ aniſum, ſcammonio pruna, roſas, dactylos, cydonium, & ſimiliter frigida, aſtringentia, craſſa: ſennæ, vuas paſſas, mannam: & contra immodicã purgationem, corpus munit

Lipothymia. *nit lubricantibus, aſtringentibus: contra lipothymiam, his quæ vires labi non permittunt, aut labi cœptas mox releuant, odoramentis, vino, & id genus alijs: quo modo ad vſum ellebori corpus quiete & cibo humectatum præparat Hippocrates, præſentiens ex moleſta eius vacuatione & multa, vitæ periculum.*

IN CAP. IIII.

Morbi calidi cauſæ quinque. *QVOD lib. de cauſis morborum calidorum vniuerſim pronũciauit, hoc loco ſpeciatim ad febres, morborum calidorum vnam differentiam transfert: quòd ſcilicet calidi morbi, vt ignis gignendi, & augendi cauſæ primæ ſunt quinque, in quas particulares aliæ reducuntur:*
1 *Motus immoderatior corporis, vt in labore & laßitudine: aut animi, vt in ira, mœrore, cura,*
2 *vigilia. Putredo humorum, vt in febribus putridis, ſiue hi in vaſis, ſiue extra vaſa, ſiue in*
3 *viſcere, vel alia parte putreſcant. Suppreßio calidi effluuij, cùm ſcilicet quod ex corpore toto, maximè ex arterijs fumidum, fuliginoſum, acre, mordax, vſtum, aut ſemiuſtum excrementum, & perpetuus ſubſtantiæ triplicis fluor mor-*

dax

dax retinetur, poris cutis, & ſæpe habitus obſtructis, vel frigore aſtringenti, vel balneo, aut illitu denſatis & contractis: id enim calidum & mordax dum eſt, vt in bilioſis, melancholicis vſtione pituita ſalſa plenis, contactu ſuo vicinas ſibi partes immodicè calefacit, illæ alias, donec acer & mordax ille calor ſpiritus vitalis calorem natiuum, aut humorum cordis, aut corporis cordis alterando, acriorem, & igneum fecerit, qua etiam ratione quæ in acceſsionibus relinquuntur, anticipationes, quæ in morbis, recidiuas facere conſueuerunt. In his enim vt cineribus, & vſtis reliquis empyreuma, hoc eſt, ignis vel ſubſtãtia, vel qualitas relinquitur, quæ ignis modo calefacit, præſertim dum actu calet, id quod illi intra corpus perpetuo adeſt. Contactus et vicinia rerum actu aut poteſtate calidarum, 4 Contactus rerum calidarum.
foris cuti occurrentium, quæ vt admouenda cætera cutim, & per hanc partes ſubiectas cuti pro ſua qualitate alterat et immutat, vt æſtus, id eſt, aeris æſtiui et meridiani calfactio: vt balneum aquæ ab igni, vel ſulphure, bitumine, ſale, herbis acribus, & odoriferis calfactum: vt illitus ex oleis, vnguentis, ceratis, emplaſtris calentibus: vt contactus ignis, vel igniti ferri, aut medi-

Balneum.

Illitus.

medicamẽti cauſtici, vel ſaltem calidioris. Hæc vicinia partium, ſuccedente calfactione, tandẽ cor quoque calefacit, licet tardius quàm quæ ſequuntur.

Permiſtio calidæ ſubſtantiæ.

Permiſtio calidæ alicuius ſubſtantiæ in corpus ſumptæ, vt aeris calidi, vaporis, præſertim ex rebus natura calentibus. Tale eſt alimentum acre & calidum, allium, porrum, cæpa: aut medicamentum, ſiue purgatorium (omne enim id eſt poteſtate calidum) ſiue menſes, vrinas, ſudores, calore etiam promouens, ſeu vi alia præditum, quæ calorem teſtetur, omne id comminutum & ſumptum ſæpe & multum, valentius calefacit, febresque excitat: præſertim in ijs qui calidiore & ſicciore ſunt temperamento: omnis enim intemperies à ſuæ intempe riei ſimilibus cauſis promptè offenditur, iuuatur autem modico contrariorũ vſu, vt dicebat Hippocrates.

Permiſtio quæ nutritione perficitur ſoli deo & naturæ cognita.

Permiſtionem verò appellat ſoli deo & naturæ poſſibilem, quæ per nutritionem fieri ſolet: nam noſtra intrita, & quæ in delitijs ſunt paſſim mille condimenta, & quæ à nobis componuntur medicamenta hunc permiſtionis ſignificatum non admittunt, de quo hoc loco agit Galenus: verum aer qui nobis inſpirãtibus in cerebrum tollitur, animalem ſpiritum, qui in pulmones,

pulmones, vitalem non modò ventilat, ſed nutrit, & alimentum id medicamentoſum etiam nutrit, & medicamentum poteſtate calidum, vbi in actum à calore noſtro eſt reductum, ipſum auget, et ſuo modo nutrit, vt ignis, ſoliſve calor, nobis perfrigeratis calorem noſtrum auget, atque exercitatio. Cauſæ aliter febrium ſtatui poſſunt: internæ, putredo: externæ, ſumenda aer, cibus, potus, medicamentum: admouenda, contactus calidæ ſubſtantiæ: facienda, motus: educenda, ſuppreßio calidi effluuij. Hæ igitur quinque generales ſunt cauſæ morborum omnium calidorum, ergo & ipſarum quoque febrium (de quibus quinque cauſis fuſiſſimè agimus libro noſtro de febrium cauſis) & in eas particulares aliæ reducendæ, vt in motum animi, ira, & mœror. Eſt enim ira, feruor quidã caloris in corde, aut ebullitio facultatis iraſcibilis in corde reſidentis, cuius eſt munus concupiſcere honorem, gloriam, iniuriæ acceptæ vindictam: in qua cupiditate non modò cordis partes tumultuantur, & motu incompoſito feruntur, ſicque incaleſcunt magis, ſed etiam bilis, quæ in venis & arterijs, & hepate, & folliculo, feruet: vnde calidã χολῆ vulgò aliquid feciſſe dicimus,

cimus,

cimus, pro, ex ira. Hinc pleriſque vehementius iratis ſuprà, vel etiam infrà bilis vacuatur: multis in corpus vniuerſum ſparſa; icterum creat. Quibus autem vehementius eſt commota, & non vacuata, febres ſæpe cauſωdes excitat: quomodo excrementa medicamentis imbecilliter purgantibus commota, & non vacuata ſymptomatum, etiam grauiorum ſunt cauſa, vt Meſues rectè in methodo medicamenta deligendi docet. Non ſolus autem ſanguinis, caloris, facultatis iraſcibilis feruor, quà feruet, calorem auget, ſed etiam quà cordis latera cõcutit, & quà motu ſuo ſpiritum, & vaporem calidum largiorem excitat, quo calor plenius renutritus, & amplior euadit: vt eius caloris reuocatione, & in frigidæ aquæ multa perfuſione iuuenis bene carnoſi. Sic & tribus aut quatuor ſaltibus, reſpiratio & pulſus maior fit, & ſæpe etiam velocior: aucto nimirum calore, non per attritum articulorum: nam hic non auget calorem, niſi violentus ſit, & aliquantum diuturnus.

Mœror ſubitus & vehemens. *Mœror item ſubitus ſcilicet, atq; vehemẽs, timori proximus atque adeò timori iunctus, ſanguinis, ſpiritus, & in vtroque, caloris motum intro, cor & vaſa maiora verſus molitur: quo,*

vt in dicta caloris reuocatione, calor augetur, et cor, quia prope ipſum hæret, ac ceſſat, immodicè calefacit: quod non faceret, ſi ad cutim reuocaretur. Accedit quòd ibi cõculcatus, quadam effluuij ſui ſuppreßione, cor incẽdit, niſi ſi ſe ſuffocando vt ignem cucurbitula, ſtrangulet, quando animal mœrore derepentè, vti & metu exanimatur. Mœror autem moderatior, aut etiam magnus, ſed diuturnus vterque febres longas, vt melancholicas, aut etiam ex ventriculi cruditatibus multis, mœrorem, & aliam quamuis cogitationem longam ſequentibus, pituitoſas gignere conſueuit potius, aut affectus alios melancholicos vel pituitoſos. Febris ex motu corporis immodico fit, quòd oßium, et cartilaginum in iuncturis attritus, vel velox, vel cũ onere graui geſtato robuſtus, vel vehemens, vel etiã diuturnus, calorem in his valẽtiorem excitat: qui ligamentis, tendonibus, muſculis, venis, arterÿs, cordi tandem diſtributis, febrẽ facit, in qua articuli ipſi præter cætera calent, vt in febre ab æſtu, caput. Ob id & quia dolent hæ partes, materias ad ſe trahunt cucurbitulæ modo: & quandam prouiſionem poſtulant, qua diſpoſitionem illam in partibus his relictam abigant, vt

Mœror etiã moderatior febrim parit.

Motus immodicus corporis febrim committit.

Galenus li. de cauſis procatarcticis.

pòſt

pòſt dicemus. Quæ in corpore ſunt omnia (vt externa omittam) ſi ſana integráque ſunt futura, difflari bifariam poſtulant, ac ventilari & refrigerari, expulſis foras continenter excrementis vaporoſis & fumidis (qui modus per accidens, vacuatione ſcilicet calidæ materiæ refrigerat) & attracta intrò aerea ſubſtantia & qualitate calorem natiuum per ſe refrigerante & ventilante: quæ duo cordi & toti propè thoraci præſtat reſpiratio, & reliquo corpori, pulſus: vtraque actio duobus conſtans motibus: illa expiratione fumorum & vaporum, quos calor natiuus ex alimento ſibi reliquos in ſiniſtro cordis ventriculo fecit, & inſpiratione aeris nos ambientis: hic diaſtole, hoc eſt, à cordis & arteriarum dilatatione aerem ex cuti, aut cordi vicinis partibus, ſanguinem ſpirituoſum magis ex venis propinquis intro attrahente: ſyſtole, id eſt contractione, vaporoſa fumidáque excrementa foras expellente: vi quoque facultatis ſingularũ partium expultricis, expellenda ſunt: poſtremò in his coctionis excrementũ tam craſſius, quàm tenuius, & propterea, quas triplicis ſubſtantiæ à ſe diſſipatas partes calor cuique parti inſitus, ad fluorem perpetuò parat. Hæc porrò omnia

Diaſtole.

Syſtole.

foras

foras vacuanda, ſi calor eſt moderatus, & partes, à quibus velut deciduntur, temperatæ, ſunt blanda, mitia, vaporoſa, contactu ſuauia, tum corpori à quo excernũtur, tum medico manum imponenti. Si verò calor eſt igneus, & mordax, & ſubſtantiæ ex quibus vacuanda hæc ſe parantur, ſint calidæ ſiccæ, ſunt ignea, acria, mordacia, erodentia, medici tactum, & partes ſentientes quas permeant eius à quo excernuntur: quomodo vapor à balneo aquæ dulcis oculo, & faucibus, & aſperæ arteriæ, inſpirantibus eſt blandus. A lignis autem vſtis fumidus, & fuligine plenus vapor, oculos mordet et partes inſpiratorias. Sic & puerorum ſanorum calor blandus eſt, virorum præſertim picrocholorum mordax. Quibuſdam verò id effluuium, cùm natura mordax non eſſet, tale euaſit praua victus ratione: quia conſuetudinem exercitationis, frictionis, balnei, purgationis omiſerunt, tenuius vixerunt, rarius comederunt, magis laborarunt etiam ieiuni, & in aere calido: & cum cæteris calidis ſiccis aut ingeſſerũt vina calida, acria, amara, vel ex ſe, vel conditura quadam aromatum, aut aliorum, & cibos medicamentoſos calidos, ſiccos, ſalſos, amaros, acres.

Blanda excrementa.

Acria, mordacia.

 Alimenta

Quenã alimenta, malos ſuccos gignant natura.

Alimenta autem ſuccos malos gignere ſolita, aut talia ſunt natura, aut tempore, aut loco. Natura, vt allia, cæpe, porra, naſturtium, ocymũ, hyſſopum, ſaluia, ſatureia, vrtica, braßica: et ſylueſtres herbæ, vt lapſanæ, & cætera aut ſalſa, aut nitroſa, aut amara, aut acri qualitate inſigniore prædita: & aquæ limoſæ, ſtagnantes, & cæteræ, tum miſtis alijs conſpurcatæ, tum ex quiete corruptæ. Nam vitiũ captant ni moueantur aquæ. Sic et legumina tota natura mala ſunt alimenta Galeno, libr. de euchymia, & cacochymia. Tempore: cùm triticum, hordeũ, & ſegetes aliæ vniuerſo hominum generi ſalubres, diutius ſeruatæ, aut iam putruerunt, & curculionibus eroſæ ſunt, aut etiam dum franguntur iam puluerulentæ: id quod vetuſtatem nimiam rerum quoque cæterarum teſtatur, dũ putredine abſoluta, aut paulatim, aut confertim, veluti cinefactæ apparent: quæ vitia in pane quotidie experimur. Loco, dum horreis contra pluuias malè munitis reponuntur: aut ſitu vliginoſo madentibus, aut meridiem & auſtrũ calidum humidum, ob id putrefacientem ventũ ſpectantibus: non autem apertis in ſeptentrionẽ frigidum ſiccum, et putredini reſiſtentem, quod

Tempore alimento mala euadunt.

Locus etiam alimenta vitiat.

rei

rei ruſticæ ſcriptores diligenter cauerunt: dum item hypocryptis, & ciſternis parum rectè perfectis, aut malè ſiccatis reponuntur: & qui ſegetum manipuli, quia terram tangunt, imbuuntur & non difflantur: quæ porrò vitia ſegetibus adueniunt in culmo, vt rubigo, carbunculatio, germinatio ex humore immodico, illa quoque noxium in nobis ſuccum pariunt: cui morborum putrium, ac peſtilentium prouentus ſuperuenit. Si enim ſucco prauo corpus redundet, & effluuium mordax ſiſtatur, denſata quidem cute, febris diaria, quæ ſæpe in putridam degenerat: obſtructis verò intus meatibus, putrida mox ab initio laborant, vt libro octauo methodi docet de bilioſo, qui lauerat in Albulis. His autem excrementis initium mouendi ad cutim, vel etiam ad viſcera & meatus internos obſtruendos dant, labor immodicus, vigilia, ira, mœror, medicamenta acria, & purgantia ſumpta, & digerentia admota. Quibus autem in corporibus excrementa hæc non inſunt, cauſæ nunc dictæ febrim non adferent. Similiter qui multa & recenti cruditate laborant, ſimul & cacochymia, ſi malè difflentur, & intempeſtiuè laborent, & temerè balneum aquæ dulcis,

aut laconicum ingrediantur, aut ſub ſole æſtiuo ſteterint, promptè febricitant retentis à cruditate excrementis, & ambobus ſimul in corpus diſtributis. Qui verò nullum in humoribus habet vitium, recentem autem cruditatem ex crapula, vel cauſa alia contraxit, hic ſi benè difflatur, quieſcit, & calorificis ſumptis & admotis, coctionem eorum in ventre & primis venis promouet; quæ ob cruditatem iam ſemicurata erant, emendantur, & probè nutriunt. Vt de his abundè eſt dictum libro quarto ſanitatis tuẽdæ. Quòd ſi hæc cruda & corrupta per aluum vacuari à natura contigerit, pro beneficio habendum eſt, quòd via hæc vacuandis omnibus excrementis ſit idonea: nec febris inde naſcitur, niſi deſurgendi frequentia, per vigiliam, motionem immodicam & intempeſtiuam, per vacuationem gignatur. Omnis enim vacuatio largior vires deycit, & ſæpe febres affert. Cùm præterea ſunt acria hæc excrementa, dyſenterias ſæpe excitant, & inteſtinorum phlegmonas, aut etiam viſcerum in quæ impetum fecerunt, quibus febres ſuccedunt.

IN

IN CAP. V.

PVTREFACTIO, eſt proprij & naturalis cuiuſque caloris in humido ſuo conſumptio, ab externo calore, vt aeris ambientis, facta. Cùm nanque in omni miſto calidum tanquam aliorum elementorum forma, aerem, aquam, terram velut materiam contineat, & concordi pace liget ac domitet, id ſi ſeipſo longè potentius euadit, cætera conſumit, ac diſsipat: ſi languidior eſt, ac parcior, his continendis non ſufficit. Humidum quoque quod terram tractabilem, & formabilem reddit, ſi largius eſt, eã fluxilem, & diſsipabilem efficit: ob id etiã corruptionis, ſeu elementorum diſſolutionis, vna eſt cauſa: & fit putrefactio à calido largiore, in humido quoque immodico. Quòd ſi calidum humidum corpus, id eſt, calidius humidius quàm ſuæ naturæ conueniat, fuerit in loco calido humido, geminatis putredinis cauſis celerior & maior fit putredo. Ob id, qui carnes tenerare cœpta putrefactione ſtudent, camino, aut cellæ vinariæ, aut loco alteri calido imponunt: ſi diu ſeruare, crudas gelu exponũt: nec ſolus calor externus,

Ariſt. lib. 4. Meth. ca. 1.

Calidi uis.

Humidi.

Calidum humidum putredinis cauſa.

Carnes teneras quæ efficiunt.

vt aeris ambientis, dum rei naturalis calorem ſibi familiarem ad ſuperficiem et tandem foras educit, vt ſol flammulam ſibi expoſitam extinguit, ſed etiam calor qui intra res ipſas continetur, tamen externus quoque & alienus vocatur, quòd actionibus officit, non commodat, qualis eſt per febres omnes calor. Hic enim non coquere, ſed omnia corrumpere eſt habilis. Febribus quoque putridis corpus obnoxium reddit vtraque plenitudo, quæ ad vaſa quidem, quia per eam corpus non difflatur, conculcatis ob copiam humoribus: & multæ fiunt obſtructiones, ob materiæ multitudinem, ſæpe etiam craßitiem, et lentorem: qualis eſt habitus exercitatorum, quæ verò ſupra vires naturales, vt ventriculi, hepatis, cuiuſque partis, quia humores in his à calore imbecillo non victi, & percocti cito putreſcunt: cùm is, vt dixi, ſit qualitatum cæterarum ceu nexus quidam, præſertim ſi vtrique plenitudini affuerit alimentum craſſum, ac lentum. In priore enim promptius poros, & meatus manifeſtos obſtruet: in poſteriore, ægrius coquetur, & diſtribuetur: & in vtraque humorem gignet pituitoſum, vel melancholicum: niſi contrarijs alimentis, tenuantibus, incidentibus,

Plenitudo duplex.

Plenitudo ad vaſa.

Plenitudo ſupra vires.

tibus, tergentibus, acribus, vel ſimul vel paulò pòſt ſumptis, craßities, & lentor corrigatur, fiatque hac ratione ſanguis, craßi & tenuis, glutinoſi & fluxilis medius. Quòd ſi quis tenuantium, & acrium, vel cum dictis, vel ſolorum vſu immodico peccarit, humores quoque vitioſos gignet, pituitam ſalſam, melancholiam, bilem flauam, præſertim ſi in alicuius horum generationem ſit vel natura, vel cõſuetudine propenſus: quales ferè ſunt calidi ſicci, in quibus omnia vruntur, maximè quæ calida ſunt et ſicca, ſeu tenuantia, & acria. Sed hoc intereſt, quòd acria obſtructionẽ, putridæ febris cauſam, copia gignunt, febremque ſuo calore augent & fouent: craſſa & lenta, ex ſua ipſorum natura obſtruunt, etiam citra copiam. Hinc putredinis, & febris occaſionem afferunt, quòd corpus difflari obſtructio prohibeat. Propterea dicebat Galenus, febrem gignere putridam tenuantia quidem ratione cacochymiæ, id eſt, multitudinis malorum humorum & bilioſorum: craſſa autem & lenta, ratione putredinis non etiam cacochymiæ. Sunt enim παχύχυμα *hæc, non* κακόχυμα. *In vtraque autem febre hac continens cauſa putredo eſt, & huius cõtinens cau-*

ſa eſt obſtructio: quam mox excitant craſſa lenta, ob id propinquam habent putredinem, non tenuantia, ſed tantum longo poſt tempore, cùm ſcilicet multos humores malos in nobis genuerunt. Pachychyma autem à cacochymis Galenus ſeparat, & libro alimentorum & de Euchymia, & Cacochymia, & à tenuante & incraſſante victu. Poſtremò addit febres ſymptomaticas, quæ phlegmonis internis ſuccedunt, eſſe etiam putridas, quòd accendantur ex vapore putri, quem putrens in phlegmone ſanguis, aut ſincerior, aut bili miſtus, & ei vel parciori, vel largiori, ad cor tranſmittit. De varia autem huiuſmodi miſtione lib. de tumoribus præter naturam: lib. II. ad Glauconem: lib. XIII. Methodi, & alibi paßim, vbi & de carbunculo phlegmones ſpecie ad plenum agitur.

Febres ſymptomaticæ.

IN CAP. VI.

CAPITE ſuperiori cauſas generales febrium putridarum explicuit: inter putridas autem accenſetur peſtilens, cæteras omnes malignitate longè exuperans: ob id hoc loco eius nõ modò cauſas tam propinquas quàm remotas docet,

cet, ſed etiam præcautionem, & curationem, quod in nullo alio febrium genere his libris effecit. Febris igitur peſtilentis continens cauſa, putredo eſt, quam interdum excitat obſtructio ſola, interdum etiam ſine obſtructione, citius cum obſtructione, aer tota ſua ſubſtantia putris & corruptus, accedente vtrobique cauſa ſine qua non, hoc eſt, corporis afficiendi præparatione, ex plethora, vel cacochymia, cum òtio, cibo & potu largo, craſſo lento, venere immodica & intempeſtiua: vnde & cruditates multæ, & obſtructiones, quæ febres eas etiam augent, cumulantur. Hæc cauſa febris peſtilentis continens, humorum putredo, ſæpe in nobis nata, per ſe, ſæpe ab aere, vel calido humido, vel magis peſtilente. Aerem facit putrem exhalatio, & euaporatio putris: exhalationem eructant putrem corpora mortua, præſertim peſte. Hic verò aer putris, quia largiſsimus inſpirando trahitur, & viribus propè integris, in cerebrum, & cordis ventriculum ſiniſtrum recipitur, ſpiritum animalem & vitalem, humoreſque in cordis cauitatibus contentos, & poſteà reliquos celeriùs corrumpit, quàm qui per poros cutis apertos, etiam rariſsimo corpore, à dilatatis arterijs

Peſtilens febris.

terijs intrò trahitur. Tardiſsimè autem aer peſtilens cutim contactu alterans, & per continuas cuti partes tandem cor, febrim peſtilentẽ excitat. Porrò aerem tota ſua ſubſtantia poſſe corrumpi & putrere, oſtendit Ariſtoteles, capite primo libri quarti Meteororum: affirmans omnia præter ignem putrere: oſtendit & experientia. Putret autem clauſus & ab halitibus & vaporibus putridis, quos excitant putrentia alia in cloacis, ſentinis, barathris, lauatrinis, ſpecubus, quos aquæ item nunc ſtantes in paludibus, ſtagnis, lacubus, quia non mouentur, nec difflantur putrentes, excitant: tum motæ, ſed receptis à populo peſtilente inquinamentis, putrẽtes, vt ſæpe vrbes magnæ, fluuiorum accolæ ipſorum aquam vitiant, ſed id rarius eſt: niſi aqua hæc ad oſtium, vel foſſas vrbis reſtagnarit, & quieuerit. Tamen magna in Aethiopia peſtilentia, per Nilum in Aegyptum et Libyam debacchata eſt, ac inde etiam per oſtia Nili, & mare internum ad Pyræum vſque, & ſuperiorem Pyræo vrbem Athenas, atque adeò Atticam regionem totam penetrauit, vt ſcribit Thucydides lib. I I. hiſtoriæ ſuæ. Aeri quoque putreſcendi occaſionem afferunt corpora hominũ

Aer putrere poteſt.

Hiſtoria.

in

in bello cæſa, multò magis peſte mortuorum nõ viſta, aut non ſepulta: ſimiliter & corpora brutorum clade ſua peſtilenti mortuorum, & non ſepultorum. Venti quoque maximè calidi humidi, vt auſtri, & qui per anſanctas valles perflant, aut auernum, aut loca alia putridum halitum eructantia, vt in Hippocratis vita Soranus recẽſet. Si corporum cœleſtium influxus quidam, vt Aſtrologi loquuntur, hoc eſt, viriũ quarundam tranſmiſſiones in hæc inferiora peſtilentem reddãt aerem, dubitare malim quàm credere, præſertim cùm medico ſenſus magis ſequenti aeris mutationes pro omni ſint Aſtrologia, vt Hipp. lib. III. Aphor. initio Prognoſt. lib. de aquis, aere, & regionibus. Tametſi ibidem, vt locis aliquot alijs, quorundam ſyderum inſignium ortus & occaſus obſeruari voluit, et poſt eum Galenus, & Aetius lib. III. cap. CLXXIIII. quòd circa hos, magnæ in aere mutationes fiant, nulla tamen ex his, quas ſuperior ætas commemorat, in peſtilentem fuit conditionem. Et quanquam non putreat aer, ſi tamen is præter ſuam, & partis anni naturam immoderatius ſit calidus humidus, corporis largioribus excrementis, et humoribus non difflatis,

Medicorum aſtrologia.

tis,

tis, putredinis occaſionem ilico dederit: quòd omnia citius in loco calido humido putreant, ſiue id ſit corpus, ſiue aer, ſiue aqua, ſiue aliud. Putredinis igitur cauſa nunc corpus excrementoſum non difflatum, nunc aer putris, omnium maximè ſi ambo concurrant. Cùm verò ſumenda, admouenda, educenda, facienda omnia, calida humida, obſtruentia, denſantia, putrentia, aut putrefacientia, etiam putredinem in paratis corporibus peſtilentem excitare poſsint, tamen aeris ſolius meminit, quòd hic omnium maximè, & continenter corpora noſtra immutet, pro ſua ipſius natura, & intrò receptus inſpirando & tranſpirãdo, & cuti occurſans. Non poſſumus enim aere vel momento carere ſine noxa, quòd & vrinatores declarant. Quomodo igitur cauſas peſtilentis febris ab aere declaraui, ſic in cibo, potu, medicamentis, & cæteris diſquire. Nam, vt aer calidus humidus, talem febrem promptè accerſit, ita balneum aquæ dulcis calidum humidum: illitus calidi humidi: alimenta & medicamenta calida humida: venus, quia Hippocrati calfacit, & humectat, dum fit ſcilicet. Vt item aer quacunque ex cauſa putrefactus, putredinem humorum venenoſam

Aer vitæ neceſſarius.

ſam

ſam & peſtilentem facit: ſic balneum aquarũ in ſtagno, aut palude, aut alibi putrefactarum: ſic olea, cerata, vnguenta omnia ex putredine graueolentia cuti admota, veſtimenta, lintea, culcitræ, ſtragula ſordida & grauiter olentia, humoribus putreſcere paratis putredinem accelerant, & augent. Caſtorium verò licet odore tetro qualitatem homini noxiam declaret, tamen neque ſumptum, neque foris admotũ quenquam læſit: quòd, opinor, in eo alia quædam ſit ſubſtantia aromatica & alexipharmaca veneniſque reſiſtens, qua ſuffocatis ab vtero auxiliatur maximè, vt in eius ſymptomatis propulſatione docemus. Sed cur per conditionem peſtilentem plerique ieiuni in dies inſpirant ex latrinis, vt in diem reliquum à peſte ſint tuti? an cor & ipſi vicinæ pulmonis partes aerem recipientes eo vapore craſſo impletum, viam non dant aeri peſtilenti? Quomodo qui Pariſijs ad cloacam diui Nicolai in cardueto habitant peſtem in vicinia vnquam fuiſſe pernegant: nam, vt profecit poto Mithridates ſæpe veneno, & vſui venenorum ita corpus aſſuefecit, vt citra noxam venena etiam obſeſſus à Pharnace filio, vt ſe necaret, biberit: vti & mulier quæ- Caſtorium.

dam

dam Attica cicutam conſuetudine ſibi familiarem effecit, alioqui publicum Athenis venenũ. Nec peſtilentem febrẽ tantùm aer putris à ſtercore cuniculorum, columbarum, gallinarum, ouium præſertim clade ſua peſtilenti laborantiũ, & porcorum, & equorum, et boum, ſed alias quoque putridas, præſertim recidiuas excitant. In ſtabulo enim horum animalium, præſertim moto fimo, qui verſantur, vt in odore lixiuij etiam motis linteis, promptè in febres incidunt, promptius recidunt. Quid? quod affirmari audio robuſtum quendam, dum, vt à parua ſphæra exercita calebat, in periſterotrophio, quod in ſummis ædibus habebat, obdormijſſet, tractis à calido corpore, & corde, & arterijs etiam calidioribus largo aere putri, non multò pòſt elephanticus euaſit. In omni igitur peſtilenti conditione corpora obſerua, quam in ſe habeant cauſam putredini paratam, vt plethoram, cacochymiam, obſtructionem, cruditates, & per hæc prohibitam difflationem, & hanc abige remedijs ipſi contrarijs: vt plethoram, venæ ſectione: cacochymiam, purgatione: obſtructionem, his quæ incidendoq́, tenuando, tergendo, ipſam expediant: cruditatem, fotu partium ad ven-

Quid in peſtilenti conditione faciendum.

trem

trem inferiorem pertinentium, & victu tenui, & tenuante, calidam et humidam corporis vel aeris intemperiem, & eandem putredinoſam, frigidis, & ſiccis, & aſtringentibus, vt aceto, omphacio, oxalide, granatis, oxyacantha, folijs ſalicis, vlmi, vitis, rubi, & cæteris ſumptis, vel admotis, corrigendo putrem iam aerem ignibus luculentis & odoris expurgando. Nam omnis aeris & corporis intemperies, à ſimilibus ſibi cauſis promptè increſcit, modico autem contrariorum vſu remittitur. Ob id conditione peſtilenti cauſis tantum putredinis reſiſtendum, & corpora excrementoſa, & humida per cauſas omnes ſalubres, ſumenda, admouenda, educenda, facienda, ſunt vacuanda ſi plena: ſiccanda ſi tantùm humidiora: ſi ſicca ſint, excrementis præſertim, ſicca ſiccis cauſis ſeruentur. Nam vt in aere, ſic in corporibus, ſiccitates ſunt ſalubriores humiditatibus: quod capite ſequenti imperat, vt cauſæ exuperanti repugnes, quoad fieri poteſt. Quæ porrò hîc ex Hippocratis Epidemiôn lib.I I. (quem eſſe Theſſali eius filij ſcribit Galenus initio lib.III. dyſpnœæ) et lib.III. fuſiùs Galenus, & commentarijs in eos libros, & initio libri primi temperamentorum explicat.

cat. Sed præcautionis, ſeu curationis febrium peſtilentium obiter hîc meminit, Hippocratem ſecutus Aph. XVII. lib. II. dicentem: Vbi cibus præter naturã largior ingeſtus eſt, hic morbum facit, oſtendit autem ſanatio. vbi repletione morbi cauſa iam commemorata, eius per cõtraria, hoc eſt, vacuantia, vel per ſe, vt purgãtia, vel per accidens, vt inediam curationem mox adiungit. Præcautionem cauſæ internæ febris peſtilentis ſcripſit, nõ etiam externæ: nam aëri calido ſicco reſiſtimus, per habitationem in aula humili, ſpectante ſeptentrionem, folijs uitis, ſalicis, & ſimilibus, aceto, aqua roſarum ſparſis: aëri autem putri per ignes ex lignis odoriferis, vt Hippocrates facere conſueuit.

IN CAP. VII.

CVRATIO, in ſoluendo morbo iam perfecto & cauſam non amplius præſentem habente, intelligitur maximè, vt in vulnere, diaria, hectica: eſtque hæc vera & propria curatio, abuſiuè tamen etiam curatio eſt febrium putridarum, & aliorum morborum partim genitorum, ob id curatione vera egentium, partim gignen-

Libr. II. m.th.initio.

gignendorum adhuc à cauſa permanente, ob id προφυλακῇ, ſeu προφυλακτικῇ, id eſt pro- προφυλακή. *uiſione & præcautione opus habentium: vt ſit tunc miſtum genus ex vera curatione & prophylace: quæ morborum propriè eſt futurorũ, & cauſam morbum creantem aut creaturam tollit. Athenæi medicinæ peritiſsimi ſectatores,* Athenæi ſectatorũ opinio improbatur. *febrem omnem ex humorum putredine affirmarunt: quod falſum eſt: nam diaria nulla eſt putrida, nulla item hectica: niſi putridæ nomen* Libr. I. ad Glauc. *latius extendas, vt corrumpentem quouis modo febrim comprehendat: quòd ſi vlla diaria eſſet putrida, eſſet ea quæ ex bubone cum vlcere, ſed ea non eſt putrida vt docet Galenus: & febris ex bubone omnis excepta ephimera mala eſt Hippocrati Apho. L V. lib. IIII. Febris au-* Febris ex bubone duplex *tem ex bubone duplex, vna cum vlcere manifeſto, & illa eſt diaria & innocens: altera eſt ſine vlcere manifeſto, quæ mala eſſe conſueuit cùm præſertim viſcerum, vt cerebri, pulmonũ, cordis, hepatis, lienis, phlegmonem, abſceſſum, vlcus, vel malignam vel venenoſam, peſtilentemque putredinem ſequitur. Nam bubones adoleſcentibus ſæpe ſunt cum febre etiam continua, ſine tamen vlla malignitate: vt phlegmo-*

ne diſcuſſa, aut ſuppurata, & percurata, ceſſet

Bubones venerei. *febris. Adhæc bubones venerei dum ſuppurantur, in inguinibus febrim afferunt innocentem.*

Bubõ quid. *Eſt autem bubon glandula aliqua inflammata. Vlcus manifeſtum, ſeu contuſio, vel etiã phlegmone capitis bubonem in collo: manus, in axilla: pedis, in inguine ſolet excitare, dum fluentẽ & tractum ſanguinẽ ad partem in capite, manu, pede, dolentem glandulæ diuiſionibus magnorum vaſorum dictis locis adhibitæ intercipiunt & inflammantur. Cùm verò ob viſcerum prauos affectus bubones fiunt, mali ſunt vt ſignum, & vt cauſa febrim geminans. Nam ex viſceris affectu putrida eſt, ex bubonis inde orti putredine diaria fortaſſe fuerit: vt enim ex bubone cum vlcere diaria omnino eſt, ſic ex bubone ſine vlcere diaria eſſe videtur, ſed cum putrida ex viſceris affectu complicata: quandoquidem ſi in bubone cum vlcere putrens cunctim & ſimul materia calorem tantùm cordi non etiam putridam fuliginem tranſmittit, ſic in bubone ſine vlcere cunctim putrere videtur: niſi dicas vt à viſcere in bubonẽ ſerpit putredo, ſic rurſus à bubone tali in viſcus recurrit. Sed quo modo in glandula putrens ſanguis putridam nõ*

committit,

committit, cùm ea ſit in diuiſionibus magnorũ vaſorum, præſertim venarum, quarum tunicam prætenuem ſuperare putrida fuligo, & in vaſorum magnorum capacitatem recipi, ac inde ad hepar & còr ferri nequit? Putredo humorum tum in tumoribus, tum in vaſis vna eſt, vincente natura & calore natiuo adhuc valenti, ob id coquente tumorum materiam in pus album læue & æquale, & vaſorum humores in hypoſtaſin albam læuem & æqualem: quæ potius coctio à vincentis caloris natiui actione dicenda eſt quàm putredo: quòd in ea alteratione caloris præter naturam effectum ſit exiguum, ſicque Galeno dicitur libro de inæquali intemperie: altera illi contraria materiam tumoribus & vaſis contentam in alienam à pure bono et hypoſtaſi proba naturam tranſmutans, in qua alienus & igneus calor obtinet: natiuus autem imbecillus eſt, aut ſi validus eſt, materiæ tamẽ prauitas coctioni ſuæ repugnat: tertia ex ambabus magis & minus miſta, quanquam & duæ ſuperiores magis & minus etiam recipiant, niſi, quæ in vtroque genere omnino extrema eſt, ſumatur: vt ſi harum omnino media intelligatur latitudinis quoque expers fuerit, vt tempe-

ratura omnino optima quæ noſtra cogitatione magis, quàm re ipſa ſubſiſtit. Materia autem praua non modo quæ cruda, multa, craſſa, lenta, ſed quæ tota ſubſtantia eſt à vaſis aut partibus tumentibus aliena, & quæ qualitatem quandam malignam venenoſam dicibilem & indicibilem aſſequuta eſt: vt in febribus & bubonibus peſtilentibus, in atheromate, ſteatomate & alijs eius generis abſceſsibus.

Libr. 1. Temp. et ſa nit. tu.

IN CAP. VIII.

PVS ſi album, læue, æquale, minimè fœtens eſt, robuſtam facultatem partis eius coctricem ſignificat, & quæ ſanguinem in parte inflammata inculcatum & malè difflatum conata ſit, quoad eius fieri potuit, in ſubſtantiã vertere partis ſpermaticæ, & eiuſdem albæ, quales ſunt tunicæ vaſorum, membranæ, oſſa, ligamenta, & ſimilia, quæ etiam craſsius pus fecerunt tanquam futurum ſibi alimentũ coquendo incraſſarent. multis quoque diebus ſibi ſimile conſtantem ſibi facultatem declarat læue & politum, & nulla aliena, & diſsimili materia variegatum, ſed vnitum & vniforme coctricis

Aphr. prob. 16. lib. 2.

vbique robur, & materiæ ſimilitudinem decla rat: quantò autem minus fœtet, vti vrina, ſter cus, ſudor, & alia tanto præſtantius: fœtere enim hæc à putredine oportet: minimus autem fœtor, minimam ſcilicet putredinem, quæ multum coctioni locum reliquit. Qualis autem eſt in parte inflammata ſanguinis in pus mutatio, talis eſt humorum in vaſis coctio atque etiam extra vaſa: ob id hypoſtaſis humorum in vaſis coctionem, cruditatum corruptionem declarat: nulla enim cruditatem, alba, læuis, æqualis coctionem, putredinem verò, colore, conſiſtentia, graueolentia declarat, idem de nubecula & enæoremate iudicium tibi fuerit. Signa febrium maxima & potentiſſima ſunt ab actione cordis læſa, hoc eſt, à pulſu & qualitate caloris, et duo hæc ſequentibus vrinis. Quoniam verò diaria febris eſt omnium mitiſſima & ſimpliciſſima & breuiſſima, parua in ea eſt actionis cordis læſio, ob id pulſus naturali proximus eſt, niſi quod multò maior & velocior, vt calor ob febrim auctior ventiletur & refrigeretur, præſer tim cùm facultas vitalis pulſifica ſit robuſta. (Nam corporis cordis temperamentum in quo ſita eſt eius eſſentia, non eſt mutatum) & cor

Signa febrium maxima.

arteriæque, pulſus inſtrumenta, pulſui obediãt, quippe quæ in nullo ſunt mutata, cùm per diariam ſoli ſpiritus incaluerint, humores & ſolidæ partes tantùm incaleſcant adhuc. Pulſus autem frequentia, quæ poſt diaſtolen minus quàm magnitudo & celeritas eſt aucta, quia neceſſitati per magnitudinem & celeritatem ſatisfit: ſyſtole item per quam fumida caloris arteriarũ excrementa vacuantur naturali proxima eſt aut eadem, quia incenſis ſpiritibus excrementorum copia non augetur: ergo neque ſyſtoles maioris aut celerioris neceſſitas. Pulſus quoque æqualis eſt ac liberè dilatatur, cum in putridis ſit inæqualis & in hecticis ob duritiem ægrè tollatur. Adhæc in quartanarum principijs arteria quodam modo alligata ad interioraque retracta tibi eſſe videbitur, neque liberum habere aſcenſum: quale nihil in tertianis percipitur, vti nec in diarijs: calor quoque æqualis eſt, non vt in epiala & lipyria inæqualis, & in pituitoſa primo manuum occurſu non mordax, immoranti mordax: in bilioſa iniectu primo manus mordax, tandem manu victus miteſcit, vt initio dictum eſt: in hectica poſt cibũ circiter hora vna increſcit calor. Adhæc cutis è regione arteriarum

rum calet magis, quàm alibi: quòd arteriæ vt cor quàm cæteræ partes magis caleant, tamen intemperies eſt totius corporis æqualis in hectica, vt initio libri de inæquali intemperie: quia omnibus corporis partibus acceßit calor proportione certa æqualis. Quod ſi in ſanis cor ipſum ſemper feruere oportet, ac eius beneficio arterias, rationabile eſt in hecticis calere magis, quàm partes alias, ipſum corpus cordis & arteriarum: vt in putridis humores in ventribus cordis conditi, & in diarijs ſpiritus cordis calēt magis. Calor præterea diariarum ſuauis eſt, nō vt aliarum febrium tam putridarum quàm hecticarum ſqualidus & mordax: quia ſpiritus tanquam vapores quidam tantùm incenſi ſunt, nihilque per cutim fumidum remittunt quod mordere queat: vt alia duo febrium genera vaporem ſqualidum aut velut fuliginem ſiccißimam per cutim exhalantia: in ipſo quoque acceßionis ſtatu ſeu vigore quando ſymptomata omnia ſolent eſſe ſæuiora, tamen calor eſt clemens adeò vt facilè ab ægro toleretur: cùm in putridis tam ſit moleſtus, vt ſitim inexpletam, inſomniam, inquietudinem ſummam, & delirium, & alia ſymptomata quàmplurima exci-

Cor in ſanis ſemper feruet.

Calor diariarum mitis.

Vnde calor in hecticis ægro clemens, medico verò moleſtus.

tet. Tamen hecticis etiam calor clemens conuenire videtur in quibus ægri ſe ob caloris, vt videtur, clementiam febricitare non putant: ſed aliter habet. Nam acer et mordax calor eſt ac medico moleſtus, non etiam ægro: quia paulatim talis euaſit, nõ vt in putridis affatim. Quæ verò alterationes & continui ſolutiones paulatim fiunt dolorificæ non ſunt, ſed quæ confertim & repentè: vt Galenus ex Platone docet lib. de cauſis ſymptomatôn. Calor ſuauis & clemens etiam in augmento & ſtatu & æqualis, pulſuſque æqualiter aſcendens quamuis febribus alijs conueniunt, ille peſtilentibus quibuſdam, hic bilioſis: vt libro ſecundo Criſeôn cap. III. ob id cõmunis diariæ & prædictis ſit, tamen quia diariæ magis eſt familiaris, proprius & inſeparabilis, id eſt ſoli & omni conueniens, ſtatuatur, fueritque hoc modo non quidem rei propoſitæ ſpecies, hoc eſt diariæ ſignorum non vna aliqua certa differentia, quæ tamen pro ſigno proprio & inſeparabili hac lege & conditione recipi poteſt: quomodo acceſſionem finiri cum vapore vel madore vel ſudore quibuſdam putridis intermittentibus etiam commune eſt, ſi tamen addatur huic ceſſationi, ἀπυρεξίαν & perfectam

ctam infebricitationem ſeu ſanitatem priſtinam & integram ſuccedere, iam ſignum diariæ ſit proprium & inſeparabile ob cauſam mox dicendam. Vrina quoque naturali eſt proxima, quòd per eam febrim facultas naturalis vti & vitalis à natura ſua minimum receſſerit, quòd ſolidæ partes à quibus actiones hæ omnes prodeunt integris & ſanis proximæ ſint, ob id hæ conſiſtentia tenui & craſſa mediæ ſunt colore cuique naturæ ſuo contentis etiam naturalibus præditæ ſunt, vt hypoſtaſin quoque habeant albam læuem & æqualem. Poſtremò febrium omnium ſola diaria poſt vnius diei aut circiter acceſsionem ad integritatem deſinit, hoc eſt, integrè ſoluitur, vapore vel madore, vel pauco ſudore. Cùm febres putridæ nullæ, quantumuis multos dies intermittant, ad veram & puram integritatem deſinãt: ſed in his vel reliquiæ putrefacti humoris, vel diſpoſitio aliqua febrilis, & velut ignea quædam portio aut qualitas remaneat, quæ acceſsionum repetitionem facit: quæ diſpoſitio, etiam ſoluta vt videtur omnino febre, in multos ſæpe dies perſeuerat. Spiritus aut per diariam calfacti vapore tantum exhalant & diſsipantur, diariamque finiunt: vel ſi hic

Vrina in diaria qualis.

Diaria quo modo finiatur.

hic nonnihil à cute & ambiente cutim aere denſatus ſit, madore, aut ſi is largior ad cutim minus calentem aeris frigidi contactu erumpat et denſatus concreſcat, ſudore pauco finiri diaria poteſt: hæc autem ſigna ſunt communia diariæ omnis à quacunque cauſa externa recenti creetur, quæ verò cuiuſque diariarum cauſæ ſigna ſint propria dicentur hoc libro cap. IIII.

IN CAP. IX.

QVOD nullum nomen ſit commune putridis & hecticis docet, probatque quod antea ſcripſit febrem omnem nō eſſe putridam, etiam excepta diaria, niſi putridæ nomen latius pateat quàm hîc. Hectica quoque hîc minus generatim ſumitur quàm libro octauo methodi, vbi omnem febrem ſolutu difficilem etiam pituitoſam & melancholicam putridas febres complectitur ſcheticæ ſcilicet, hoc eſt, facili ſolutu febri oppoſitam. Vt enim σχέσις, id eſt diſpoſitio, qualitas eſt facilè à ſubiecto mobilis, ἕξις, id eſt habitus ægrè mobilis: ſic febris ſchetica & hectica illic opponuntur, hîc verò putridæ & diariæ opponitur hectica & ſpeciatim magis ſumitur,

mitur, tametſi eandem appellationis rationem retinet, quod ſcilicet vt ἕξις, id eſt, habitus ægrè à ſubiecto ſeparatur, ſic hectica curatu eſt difficilis, immo ſi conſummata eſt incurabilis, vt pòſt audies: ſic & libro de inæquali intemperie, vel ἕξις, id eſt habitus, ſeu pars corporis ſolida & firma in qua accenſa eſt hectica, vnde & εὐεξία, bona corporis habitudo, & καχεξία mala corporis habitudo, & corporis ἕξις venoſo generi & humoribus opponitur libro quarto ſanitatis tuendæ.

Hectica curatu difficilis, aut etiã incurabilis quando.

Signa febrium putridarum & aliarum maxima & præcipua ſunt in calore & pulſu & vrinis: calor nanque in his eſt tactu medici mordax vel ſtatim, vel aliquandiu, poſt impoſitam manum, & inæqualis præcipuè in principio, copia materiæ adhuc ſuffocatus, vt in quibuſdam etiam ſemper vt in epiala & lipyria, non enim dicitur inæqualis, quòd partes corporis omnes inæqualiter calefacit: nam ſolidas nondum calefecit, ſed quòd quas partes calefacit inæqualiter calefacit: calor idem præſertim per vigores vniuerſales & particulares ſæpe tantus, vt ſitim inexpletam, inſomniam, inquietudinem deliriũ excitet. Pulſus initio acceſſionum tam eſt anguſtus,

Signa febrium vnde ſumuntur præcipuè.

guſtus, vt filum digitos medici ferire videatur: tamen vtcunque velox, vt paruitatis incommodum redimat: nondum enim calor à materiæ copia tanquam ſuffocatus magnam velocitatis neceßitatem attulit, vt in augmento & ſtatu, quando pulſus ob refrigerij neceßitatem primũ magnus, & cùm magnitudo non ſufficiat velox: cui etiam comes accedit frequentia, vt qui vehementer ſitiunt hauſtus magnos, celeres, frequentes ebibunt, in his tamen magnitudine & velocitate vnius pulſationis eſt pulſus inæqualis, ita vt vna arteriæ parte ſit maior quàm altera, & initio velocius aut tardius, validius lãguidius quàm in fine eiuſdem pulſationis dilatatur. Syſtole quoque magna eſt ac velox, præcipuè in ipſo incremento. Nam initio nondum ſuccenſis excrementis pauca ſunt fumida excremẽta, in ſtatu tam ſunt ob caloris vehementiam et coctionem iam dominantem tenuata, vt ſine magna vi & compreßione foras elidi poßint, vt hyeme per cutim denſatam, quia tunc ventres ſunt natura calidißimi: in augmento multa ſunt, nec ita tenuata, ob id tunc ſyſtole & magna & veloci opus eſt, vt flammula ex lignis recens ingeſtis fumum non auget, neque ex

Syſtole magna velox.

luculentum

luculentum ignem facientibus, ſed ex increſcen te incendio. Magna autem ſyſtole intelligenda quando ſecundum longum, latum, & altum ar teria vndique ad centrum proximè accedit, id quod etiam ad diaſtolen magnam eſſe neceſſa- rium videtur, cum arteria in longum, latum, altum, plurimum dilatari nequeat, niſi prius plurimùm contrahatur, cùm eius dilatandæ cer ti ſint termini: quomodo qui magnam vult fa- cere inſpirationem, magnam prius facit expira tionem: tamen ita nō habet, quoniam & inſpi rationem magnā facere poßis ſine magna expi ratione: quando ſcilicet thoracem longißimè, la tißimè, altißimè diſtendis: etiamſi in media prius erat figura, aut vltra mediam prope ſcili- cet maximam diſtenſionem: neque enim ma- gnitudo innuit terminum à quo, ſed ſolùm ter- minum ad quem: & ſine magna ſyſtole ma- gna fieri diaſtole poteſt, vt in ſynochis, in quibus ob arteriæ plenitudinem, penitißimè contrahi arteria nequit, & tamen in ea eſt pulſus maxi- mus, & ſine maxima diaſtole poteſt maxima & penitißima ſyſtole fieri. Vrina quoque cru- da eſt vel non concocta colore, conſiſtentia, con- tentis. Nam febrium tempora vniuerſalia ſi-

Syſtole magna quādo.

gnis

gnis in vrinis coctionis diſtinguuntur, quæ in principio ſunt obſcura, in augmento manifeſta, in ſtatu perfecta. Color vero vrinis eſt coctis vnus, vt crudis non ſemper vnus, ſed alius & alius pro varia ægri natura præſente: ſi enim frigidus eſt in aere frigido, & morbo affectus frigido, minus eſt tincta & alba, aquoſa, pallida: in contrariys etiam flaua. Conſiſtentia tenuis, ſiue tenuis perſeuerat, ſiue poſt craſſatur, cruda eſt, ſed illa magis quàm hæc: ſic craſſa ſiue craſſa maneat, ſiue poſt tenuetur, cruda eſt, ſed illa magis quàm hæc: cocta verò conſiſtentia eſt tenuis & craſſæ media, contentáque habet hypoſtaſin albam læuem & æqualem potius, quàm enæorema album læue & æquale, idque potius quàm nebulam albam læuem & æqualem. Putridæ quoque incipiunt cum vero rigore bilioſæ ſcilicet, vt melancholicæ cum horrore. Pituitoſæ cum cutis & partium extremarum frigore: quanquam poteſt horror eſſe ſine febre, quem nonnulli abuſiuè rigorē quoque appellant, vt in ſymptomatis declarauit Galenus: & diariæ, ab æſtu liquata pituita aut bile mota vel frigore, à rigore incipiunt. Putridæ ex ſe à cauſa externa recenti non admodum incipiunt, ſed

Putridæ à cauſa exter

Digitized by Google

ſed ferè à cauſa interna, tamen ſæpe febris à cau ſa externa recenti producta, ex ſe diaria tantùm futura, ſi corpus impurum eſt ac excrementoſum, vt pituitoſum, bilioſum, melãcholicum, pro diaria erit putrida, aut potius ex diaria tranſibit in putridam humori redundanti familiarẽ, idque in vigore acceſsionis, ſed in declinatione crebrius: quem tranſitum facilè deprehendes, ex notis diariæ quidem proprijs ceſſantibus, putridæ verò apparere incipiẽtibus: vt ſi quo tempore diaria viget aut inclinat, calor pro miti acer euadat, & tolerandi facilitate deſita ægrè febrilem calorem æger toleret: ſi acceſsio in vaporem vel madorem, vel paucum ſudorem non deſinat, idque integrè omnino, ſed ingraueſcat magis: ſi item in vigore, vel declinatione ſignũ aliquod febris putridæ, vt ardentis, ſemitertianæ, & aliarum de quibus pòſt, apparuerit. Vt cætera omnia ſic arteriæ corpus euadit durum ſiccitate (à cauſis omnibus inaniẽtibus & ſiccantibus per ſe aut per accidens) tenſione (à replentibus omnibus, vt tumoribus præter naturam) concretione à valenter refrigerantibus ſumptis & admotis.

na quãdo incipiunt.

Cap.9.li.1. febr.

Tranſitus diariæ in putridam vnde deprehendatur.

Corpus arteriæ à quibus durum efficiatur.

Pulſum igitur durum concretione efficiunt frigida

Pulſus duri cauſa.

frigida omnia ſumpta & admota, vt frigidæ aquæ potus intempeſtiuus, aut in eadem balneũ intempeſtiuum: item eſus largior fructuum crudorum & frigidorum. Tenſionem repletio, vt phlegmone, ſcirrhus viſceris alicuius arteriam aut vicina ei corpora occupans. Neruorum quoque ægri aliquorum tenſio conuulſifica inflammationi proportionalis, pulſus duri cauſa eſſe poteſt. Siccitatem, fames diuturna, fluor alui, lienteria, dyſenteria, vomitus longus, cæteræ vacuationes diuturnæ, febres ardentes et hecticæ, & cætera partes ſolidas vehementer ſiccantia. Durus autem pulſus per febrem quà febris eſt, nunquam efficitur, ſed ab aliqua dictarum triũ cauſarum continentium. Nam febris quà febris eſt, ſeu ſua eſſentia & per ſe calefacit, & durũ concretione & tenſione ſanat, per accidens verò ſiccat. Quouis autem horum modorum dura arteria durum faciet pulſum, qui nulli febrium generi eſt proprius: ſolis enim diarijs à cauſa calida ſicca in corpore calido ſicco, & cæteris calidis ſiccis conuenit, putridis à phlegmone viſcerum, hecticis maraſmodibus, non hecticis tantùm.

IN

IN CAP. X.

HECTICA quamuis vnica ſit, acceſſionemq́ue ab initio ad finem et mortem habeat vnicam, tamen in tres diuiditur ſpecies, à varia corporis diſpoſitione ſumptas. Prima eſt hectica tantum, in qua corpus cordis & cæteræ partes ſolidæ iam primùm ſunt incenſæ: duratq́ue hæc ſpecies, quandiu in corpore cordis & alijs partibus ſolidis humor ſubſtantificus & radicalis terreas ipſius partes glutinãs adhuc multus ſupereſt, ipſum calorem igneum nutriens & fouens, quomodo oleum, cera, ſepum, & ſimiliter pinguia in ellychnio flammam alunt: hæc cognitu eſt difficilior, curatu autem facillima. Altera etiam extrema maraſmodes dicta, quòd maraſmum calidum ſiccum habeat adiunctum, eſt cùm humor hic omnino abſumptus eſt, parteſq́ue omnes ſolidæ non ſolùm corpus cordis velut cinefactæ & friabiles, vt putrefacta & vſta omnia, quale exuſtum eſt ellychnium, quod nullius olei affuſu flammam amplius concipit: ſic neque abſumpto humido ſubſtantifico calor natiuus poteſt inſtaurari: ob id hæc, vt nullius vi-

Hectica ſpecies tres.

1. Hèctica tãtum, quæ cognitu difficilis eſt.

Pinguia flãmam alũt.

2. Hectica Maraſmodes quando.

Maraſmus ſimplex vnde.

ſum & tactum latere poteſt, ſic nunquam curationem recipit: & hanc à maraſmo ſimplici, qui ſolius ſiccitatis exceſſu prouenit, & compoſito frigido ſicco ſenibus familiari, & quibuſdã etiam pueris hydrope, lumbricis, vel aliter atrophia ſine febre laborãtibus, ſeparat hoc loco Galenus, nomine tamen maraſmi alterius compoſiti, id eſt, calidi ſicci, hecticam iſtam comprehendit libro de Maraſmo. Quin & capite vndecimo aliquoties maraſmum pro hectica maraſmode accipit: vt hîc nomen maraſmi minus latè pateat, quàm lib. de Maraſmo. Tertia inter has media nunc priori, nunc poſteriori propior, vt latitudinem ſatis multam obtineat vti etiam extremæ duæ: maioris enim & minoris ratione omnes hæ tantùm differunt. Et cùm ſiccitas ſit triplex, vna ſanguinis penuria in proprijs cuiuſque particulæ exilibus venis, & arterijs: altera ex abſumpta omnino humiditate

Tertia hectica ſpecies.

Li. 7. Meth. Siccitas triplex.

1 propria in omnibus animalis partibus contenta, & roris modo ſparſa, ipſas nutriente, quæ ſolo alimento inſtauratur: tertia ex ſolida ſimila-
2 rium partium ſubſtantia ſiccata. Hecticæ tres
3 ſpecies in his duabus poſtremis ſunt, vt hoc capite apparet: aut fortaſſe veriùs in ſolo humore ſubſtan-

ſubſtantifico & radicali ſeu tertio: hectica autem febris magna ex parte & frequentißimè ſequitur febres ardentes bilioſas & æſtiuas, non etiam hybernas & pituitoſas, cùm ea laborantes calidi ſicci, à cauſa calida ſicca, in aere calido ſicco calidiores ſicciores euaſerunt, vel diatrito ſeu ieiunio triduano, vel victu tenui & eo calido ſicco, nec frigida humida ab his tempeſtiuè ſumpta ſunt vel admota. Interdum in homine calido ſicco naſcitur, à cauſis calidis ſiccis, ira, mœrore, cura, inſomnia, æſtu, interdũ à phthiſi, & cauſis alijs pòſt dicendis. Lib. 8. et 9. Meth.

IN CAP. XI.

SIGNA incipientis & mediæ & maraſmodis ex Galeno ſunt nota, & ſignorum maraſmodis cauſæ ex libro primo prognosticon repeti poſſunt in facie Hippocratica: conuulſionem enim à ſiccitate & humidæ ſubſtantiæ cõſumptionem ſequuntur, & ſunt ea ſigna morbis acutis & diuturnis, & omni cauſæ emacianti cum hectica maraſmode communia: ob id ex his hanc hecticam non iudica, ſed adde alia, à pulſu & calore ſumpta, tamen paucis

Oculi caui in hectica quare.

eas illuſtrare placet. Oculi caui, quia minutiores conſumptis tribus in ipſo humoribus, aquoſo ob tenuitatem maximè, cryſtallino ob craſsitiem & ſiccitatem minimùm, vitreo mediocriter. Adhæc tunicarum ſua quædam caro conſumpta, adeps ſub oculo conſumptus, muſculi mouentes & neruum opticum ambientes ac firmantes conſumpti & ſiccati, breuioresque & contractiores ob id facti: quare etiam conuulſis omnibus his partibus non minores modò, ſed etiam retractos & conſtrictos & conuulſos reddunt oculos, & omnium maximè cum muſculis & optico neruo membrana cohærens. Oſſa genæ vtriuſque, immo totius oculi orbitæ limbus eminentior apparet ob oculum intrò conditum, ſed magis ob cutis & carnis hæc oſſa tangentis conſumptionem. Nam quibus carnoſis oculi ſunt eliſi aut effuſi, oſſa hæc parum prominent: vt per ſolem & puluerem ambulantibus, ex ſudore per ſolem ſiccato puluere miſtus ſqualor partes nudas cõſpurcat: ſic in hecticis humidi ſubſtantifici & terreæ partium ſolidarum ſubſtantiæ aliquid foras effer ueſcit & extruditur vt in lignis ardentibus, ea duo in cute miſta inſident, qualiter ſanis multis

hyeme

hyeme excrementum tertiæ coctionis craſsius ad cutim hæret. Adhæc ab oculis non modò humor ſuus, ſed etiam alimenti portio ob naturalis in eis facultatis imbecillitatem non continetur, neque coquitur, ſed diffluens à calore febrili ſiccatur, vt multis pueris ſine febre, interdum magis cum febre accidit.

Flos viuidus coloris ſeu color viuidus in facie maximè apparens ob ſanguinem, ſpiritum, & vtriuſque natiuum calorem, perit in hectica maraſmode, quòd illius floris cauſa iam perijt, immo & in oculis maximè ſanorum emicat flos hic, in hecticis & morituris perijt, immo & in multis mitioribus morbis: vnde vulgò dicimus: In vultu magni ſigna doloris habes, de ægris: & de ſanis: Nullius in vultu ſigna doloris habes. In vultu enim maximè cernuntur & facillime primæ morborum multorum notæ, ob id ab his hoc loco, & initio prognoſticorum in morbis acutis incœpit. Squalor hic & ſiccitas quāquam facie tota atque adeò corpore toto perſpicuè appareat, tamen in fronte manifeſtius: quòd in hac ſana cutis ſubiecto muſculo connata plenior & carnoſior & habilior exiſtit: iam per hecticam maraſmode, conſumpto

Color viuidus quare in hectica pereat.

Squalor in fronte magis appareat.

facilè carnoſo genere, cutis hæc arida & intenta cernitur ob conuulſionem, non vt ſenibus rugoſa: eadem ratione collapſa tempora muſculis temporalibus colliquatis & conſumptis apparent, vt etiam os parum & ægrè aperiatur cõuulſis his muſculis.

Collapſa tẽpora.

Palpebra vtraque ob ſiccitatem conuulſa et contracta apparet, magis tamen ſuperior, alioqui mobilis ſola, conuulſis neruis & muſculis eam claudentibus vel aperientibus, vt eorum motus ſit ineptus & ob id incertus ſed trementium modo nunc claudi nunc aperiri videantur: id quod dormiturientibus & dormire nõ audentibus accidit, præſertim labore multò fatigatis: id tamen hecticis nõ ex propenſione in ſomnum accidit (quia ob caliditatem & ſiccitatem maximè ſunt vigiles & à ſomno alieni, quem frigida & humida excitant) ſed vt dixi ex motricis imbecillitate & organi ſiccioris inobedientia, & ob laſsitudinem ex vigilandi impotentia. In ventre inferiore (nam ſuperior thorace concluſus ob coſtarum firmitudinem minus ſubſidere poteſt, etiam ſi in eo viſcera, pulmones et cor, quantum cæteræ partes ſolidæ ſint colliquatæ & tabefactæ, immo magis multò quòd febrem

Venter inferior imminutus.

brem præter cætera ſuſtinent,) inteſtina & viſcera, ventriculus, hepar, lien, renes, colliquata adeo ſunt & diminuta, vt non appareant tactui. Quin et hypochondrion tam dextrum ſub quo hepar, & ſiniſtrũ ſub quo lien, & xiphoides cartilago ſub qua ſtomachus, thoracem verſus contrahuntur conuulſa à cartilaginum ſiccitate & peritonæi hoc loco velut ſubrigentis. Qualis ſiccitas in cute externa & arterijs, vnde & pulſus durus, & partibus reliquis ſolidioribus apparet. Pulſus autem gracilis eſt ac paruus, vt initio putridarum, quia longius & latius diduci ob ſiccitatem nequit arteria. Debilis, ob facultatis vitalis imbecillitatem, ex vitiato corporis cordis temperamento, in quo erat facultatis pulſificæ eſſentia. Quia tamen febris eſt & calor auctior, vt ventiletur pulſu veloci egeret, ſed hic etiam vires robuſtas exigit, ob id in magni & velocis ſupplementum frequens efficitur. Durus quoque in hectica maraſmode ſemper, non item in hectica tãtum. Calor quia è ſubiecto ſicco per vaporem tactui medici apparet, vapor autem hic tardius & parcius à ſicco corpore emergit, ob id non niſi poſt tempus acer & mordax ſentitur. Humiditati quadruplici

Pulſus gracilis.

Debilis pulſus.

ſiccitatem quadruplicem opponi docet Galenus lib. V I I. meth. ex his duas poſtremas hecticis abſumi ſcribit hoc loco Galenus. Hecticæ curationis vt peſtilētis obiter meminit, quia niſi principio refrigerantibus et humectantibus ſumptis & admotis curetur, poſteà inſanabilis euadit. Initio enim & intemperies calida ſicca partiū ſolidarum exigua eſt, robuſtæque ſunt tunc naturales facultates, quarum coctione per nutritionem partes humectantur & refrigerantur. Alimentum enim etiam calidum poteſtate, originalem tamen calorem mitigat: multò magis poteſtate frigidum, quale hecticis maximè eſt ſalutare per initia. Vbi autem maraſmodes euaſit vitiato partium ſolidarū temperamento, naturalis in omnibus his facultas imbecilla eſt pro intemperaturæ modo, vt alimentum coquere nequeat. Adde quod ſolidæ partes genere carnoſo ab hectica conſumpto deſtitutæ, frigidi vel ſumpti vel admoti occurſum ferre nequeunt: vt docet Galenus lib. X. meth. & I X. de potu frigidæ, & Aphor. de frigidæ aquæ perfuſione in gracilibus. Principium febris hecticæ eſt quandiu calor nondum acrior euaſit, & multa adhuc ſupereſt humiditas tum ſubſtantifica, tum

Hectica vt peſtilens initio curāda.

Hectica febris principium.

ea

ea quæ ipſam inſtauratura eſt, caloriſque ignei furorem fractura. Vel calida tantùm, vel ſicca, vel alia quæuis intemperatura inſignis facultatum robur infirmat, mulò magis geminata viribus iunctis id efficit, & quanto maior eſt tanto celerius: ita vt ſi maxima eſt etiam parti mortem afferat, non ſoli facultati. Vt oleum feruendo minuitur, & tandem vſtum dureſcit, ac ſicceſcit: ſic humidum radicale magis, quia minus glutinoſum eſt, feruendo abſumitur, & tandem vritur. id autem humidum craſſum lentum, pingue, multum, imputribile animal efficere viuacius author eſt Ariſtoteles idoneus, libro de long. & breuit. vitæ. Hectica putridæ interdum implexa, vt libr. X. Meth. in muliere ex triſtitia & vigilijs febricitante: et lib. I. Epid. tertianæ & quartanæ & quintanæ implexam ſibi viſam ſcribit: quæ verba planè indicant quamuis in omni hectica humores ſint calefacti (Nam ſi partes ſolidæ calefieri ineptiores ſunt calefactæ, multò magis et humores ipſi ob tenuitatem alterari promptiores) tamen nõ ſemper putrent, vt etiam de ſynocho non putri poſteà dicemus. Hectica licet frequentiſſimè ardentes febres malè humectatas & refrigeratas ſequatur,

Intemperies inſignis facultatum robur deijcit.

ſequatur, tamen interdum à cauſa etiam externa recenti, vt diaria naſcitur, non tamen quauis, ſed ſicca omnino, & ferè calida, vt ira, mœrore, cura, inſomnia, æſtu, labore, aere calido ſicco, in hominis natura calidiſsima, & victu reliquo calido ſicco: quæ quia in his regionibus raro concurrunt, ob id etiam morbi bilioſi, inter quos ardētes ſunt febres hecticarum creatrices, & hecticæ à cauſis calidis ſiccis raræ, à phthiſi ex catarrhis frequentiores. A qua autem harum externarum cauſarum proficiſcatur hectica, reſciſcere potes ex ægri relatu & notis poſteà deſcribendis: vt ſi æger nulla in re peccarit heſterno die præterquam quod vehementer & ſæpe & diu excanduit, & cætera calida ſicca conſentiunt, magna eſt ſuſpicio hecticam fore: ſuſpicionem augebunt diariæ ſignorum abolitio, & hecticæ ſigna iam manifeſta die ſecundo, & certiora tertio: præſertim ſi hora vna aut circiter poſt cibum tempeſtiuè datum calor increſcat, cum cauſa poſterius dicetur. Cur autem ſuſpectas acceſsionis ſeu exacerbationis horas die tertio tranſmittendas priuſquàm cibus detur (Nam in acceſsionibus abſtinere oportet à cibo) iubet, non etiam ſecundo aut quarto, cauſa eſt quòd

Signa hecticæ futuræ.

Libr. I. Aphor.

quòd hectica diariæ initio ſimilis à cauſis calidis ſiccis incipit: quæ ſi in putridam degeneratura eſſet (ex quo XXIIII. horis pro ſua natura & conſuetudine non ſoluitur) in bilioſam febrē tranſiret: quæ ex ſua natura tertio quoque die exacerbationes habet, ſi cōtinua eſt vt hæc, aut acceſsiones ſi intermittens eſt: quemadmodum ſi à ſatietate & ebrietate in homine pituitoſo, aere frigido humido incipit diaria, nec ſtato ſibi tempore finiatur, in putridam pituitoſam quæ quotidie recurrat præſertim poſt meridiem tranſibit, & in melancholicam ſi melancholica adſint omnia. Si igitur ſuperatis horis repetitione bilioſæ febris cibum dederis in hac diaria hecticam minanti, & calor augeatur aliquanto pòſt, dices hecticam, ex quo pulſus tunc maior & velocior fit, vt alteri cuipiam nutrito: nec horror aut frigus partium extremarum tunc ſuperuenit, nec in ſomnum propenſio, & corporis totius ad motus pigritia inſignis, oſcitatio, pandiculatio, neque calor neque pulſus inæqualis, nec pulſus paruus aut debilis: quæ omnia ſymptomata adſunt acceſsione aut exacerbatione putridarū febrium prehendente & repetente. Incrementum æquale adeſt etiam ſynocho non putri & putri,

Aequale incrementū ſy

nochi vtriuſque. putri, quam ob id ἀναβατικὴν vocant, vt ab homotono & paracmaſtica ſeparent, vt libr. Method. VIII. IX. XI. dicetur. Sed ſynochi in homines cadunt multi ſanguinis, ob id facilè ab hecticis ſeparantur, & quòd illis calor ſit flammeus ac plurimus ob id pulſus maximi, velociſsimi, frequentiſsimi, accedentibus virium vitalium robore & organorum obedientia. Contrà in hecticis calor multò minor et facultas pulſifica imbecilla, & cor arteriaque ob ſiccitatem rigida ac inobediẽs, ob id pulſus paruus, tardus, rarus magis multò quàm ſynochi alterutrius.

IN CAP. XII.

HECTICA febris tam eſt exigua & obſcura, vt æger nõ ſentiat ſeque febricitare neget: quanquam id non tam ob caloris exiguitatem accidere videtur, quàm ob alterationem illam diutinam & paulatim factam, non autem affatim, quæ ſola eſt dolorifica Galeno. Hectica autem ſine ſiccitate conſiſtens nec tranſiens in maraſmode, vt quæ phthiſi, hoc eſt, pulmonum vlceribus, quæ peſtis ſæpe excitat, ſuperuenit. Nam vlcera aſperæ arteriæ & pulmonum

Vlcera pulmonum pe-

num peſti ſuperuenire docet Galenus lib.V. Methodi: Phthiſi autem hecticam ſuperuenire in fine capitis huius. Magnæ item huius peſtilentiæ quæ Romæ graſſata paßim meminit. Legendum itaque eſt λοίμῳ, *id eſt peſte, nõ* λίμῳ *id eſt fame & penuria: quanquam & ex nimio ieiunio hectica prehendat Arnaldo Villanouano, & Galeno lib. VIII. & IX. Meth. per diatriton naturas bilioſas in ardentes ex diarijs præcipitari, à quibus in hecticas trãſitus eſt promptißimus. Adde quòd ex magna alimentorum bonorum penuria peſtis ſæpe naſcitur, vt Gal. ſcribit lib. de Euchymia & Cacochymia, & paulò antè in febris peſtilentis cauſis. Sumpto ſemper alimento in hectica calor augetur, et pulſus maior & velocior fit quandiu cor ab alimento humectatum & arteria intemperatum minus eſt, ob id validius & magis obediens motui. Exemplum aut calcis & aquæ, aut carbonis ſemiſopiti & olei affuſi rem apertè declarat fieri: cauſa verò eius effecti non perinde eſt conſpicua, cùm abſurdum videatur calorem in calce ſopitum in apertum prodire affuſa aqua, quæ frigida & humida cum ſit extinguit ignem, ob id calorem abolere magis quàm promouere aut* ſi ſuperueniunt.

ſaltem

ſaltem proferre, debet: nec ipſa nutrimento ignẽ et calorem augere poteſt, niſi poſt multas in medio alterationes. Eius ergo effecti cauſam reddere ad phyſica problemata pertinet: de quibus lib. I I. Simplic. cap. V. Adde quòd quæ calida ſunt potentia, vt medicamenta plurima dum à calore noſtro actu calida euaſerunt, vehementius ſæpe nos recalfaciunt: à frigido autem vel humido vel vtroque calida potentia actu calida euadere non poſſunt. Quid, quòd frigida potentia vt actu frigida euadant, id nõ à frigidis, ſed à calore noſtro obtinent, vt lib. ſimpl. docet Galenus. Quia corporis afficiendi præparatio magni eſt momenti ad febrium, vt morborum aliorum generationem, ſcribit corpora bilioſa, ſeu calida ſicca, in vitæ conditione, parte anni, regione, conſtitutione, viuendi ratione calida ſicca, à cauſa calida vel ſicca vel vtraque, vt ira, mœrore, cura, vigilia, labore, æſtu, ſi in diarias incidant prompta eſſe, vt in putridas bilioſas et ardentes, & ab his malè curatis, aut etiam ſine his, in hecticas tranſeant. Diariæ febres præ dictæ malè curãtur, cùm prædictæ naturæ diatriton, id eſt, ieiunium trium dierum ferre coguntur initio, cùm his naturis inedia ſit aduerſiſſima,

Exemplum hoc afficit propter eſſecti ſimilitudinem non cauſæ.

Diariæ febres quando malè curantur.

ſiſsima, vt libro octauo Methodi. Ardētes male curantur, ſi præterquam quòd aqua frigida larga manu non eſt his exhibita tempeſtiuè, nec ceratum Galeni refrigerans thoraci & hypochondrio eſt admotum, nec reliqua id genus refrigerantia & humectantia ſumpta ſunt vel admota, ſed contra planè calida ſicca ſunt ſumpta vel admota: vt cataplaſma ex pane, vel artomelite, & alijs calidis ſiccis. *Ardētes malè curātur. Lib. ſimp.*

Cordis ſiccitas & caliditas omnium promptiſsimè hecticam concipit, ſecundo loco phlegmone hepatis ac ventriculi: quòd hæc viſcera duo ſint coctionum primarum officinæ, quarum vitia non emendant ſingularum partium coctiones. Ergo vſto in his viſceribus inflammatis alimento, cor & cæteræ partes nutritæ promptè intemperiem calidam ſiccam, & , ſi diu perſeuerauerit hæc vſtio, hecticam concipiunt. Tardius partium aliarum ventris inferioris inflammatio etiam magna & diuturna hecticam generabit, quòd in his alimentum nec diu moretur, nec mutationem aliquam memorabilem accipiat. *Quenā hecticā promptè excitēt.*

Dyſenteriam ob inflammata inteſtina ſequitur hectica, ſed etiam ob atrophian, qua ratione *A dyſenteria etiam hectica.*

ne

ne & lienteriam & diarrheam etiam ſequitur adueniente febre etiam exigua, promptius autem magna. Nam per hos affectus alimentum nec retinetur in coctionis inſtrumentis, nec ob id coquitur nec diſtribuitur, ſed per inteſtina mox peſſum delabitur, aut nihil aut minimum & ſerè in peius ex corruptione mutatum. Cor igitur & cæteræ partes ſolidæ alimento conſueto non humectatæ, ſiccantur non ſolùm humidi penuria, ſed ab inſito calore reddito acriore alimenti inopia, & multò magis febrili.

IN CAP. XIII.

IN omni febri cor & arteriæ calent magis quàm reliquæ partes, vt etiam in ſanis omnibus, cum cor ipſum ſemper feruere oporteat, cæteras partes ſatis ſit non frigere: tamen is calor cordis & arteriarum maior in ſanis & alijs febribus minus percipitur, quia humoribus multis, adipe, carnoſo genere, cutis arteriarum & cordis obtũditur & intercipitur. In hecticis ſanguinis reliquiæ propè cinefactæ, & vt in ſanguiculis aſſando vſtis friabiles, corpus arteriæ & cutis pergamenæ vitulinæ modo tenuiſſimum,

Lib. de vſu pulſuum.

adeps

adeps nullus : ob id calor ille igneus citra obices integer digito medici occurrit. Cordis autem nō meminit, quia id in medio thorace ſitum minus tactui patet, cùm thorax, vt dictum eſt, per hecticas non ita ſubſideat. Tametſi & in hecticis et cæteris febribus in medio thorace calorem ferè acriorem ſentias quàm alijs in partibus : ferè dixi, quia aliquando in ea parte ſudor calorem temperat. Quòd ſi corpus rarefeceris balneo tēperato aquæ dulcis, aut frictione molli, aut aere temperato, aut illitu modicè calente et tenuium partium, vt acria & fumida excrementa, ſeu humor & calor & vapor ex toto corpore tranſpirent, ſenties poſt eam trāſpirationem corpus totum temperatum : arterias tamē æquè ac ante rarefactionem calere, quòd vis balnei & ſimilium eas non attigerit, aut ſi attigerit, nō humectauit nec temperauit : quia in eis ceu quodā fomite largior ſit vſtæ & vrendæ materiæ copia, quàm quæ per eam rarefactionem perſpirare potuerit.

Cùm per diaſtolas arteriæ cuti vicinæ aerē trahant ad refrigerium & caloris ventilationem, per ſyſtolas verò fumida excrementa expellant, cur per illas potius quàm per has acer il-

le calor perfectiſsimè ſentitur? Quia dilatatæ arteriæ cutim tangunt, & digitos noſtros lato ſuo corpore multis in partibus calore ſuo alterãt ac afficiunt, cùm per ſyſtolas intrò contractæ à cute longius recedant. Huc pertinet quòd excrementa fumida & craſſa multùm ac terrea, à contracta & denſata arteria ægrè expelluntur, à dilatata & ob id nonnihil rarefacta per ſe exhalant, & digitis noſtris occurrentia eos mordaci contactu afficiunt. Hac igitur nota propria & inſeparabili, vt cæteras taceam, omnis hectica ſi per ſe eſt nec putridæ complicata, facilè dignoſcitur, magis tamen hectica maraſmodes quàm hectica tantùm, ſeu hectica ſanabilis: quòd in hac humidum ſubſtantificum nondum ſit conſumptum, vti nec in putridis cœptum conſumi niſi admodum ardentibus, in quibus tamen hæc nota locum non habet.

Putridæ coniuncta hectica: & etiã alijs.

Cum putrida autem coniuncta hectica difficilius cognoſcitur, præſertim ab empiricis: ab his verò qui cuiuſque febris typum & formam nouerunt promptè cognoſcitur. Implicari autẽ hecticam cum quotidiana, tertiana, quartana, quintana, & alijs putridis prius docuimus. Quòd autem exemplum hoc loco affert mulie-

ris,

ris, ſcribitur etiam libr. X. Meth. cui ex triſtitia & vigilijs hectica erat cum putrida, vt videtur, duplici quotidiana, vna diurna, altera nocturna: quæ breues acceßionis partes, hoc eſt tempora particularia, principium, incrementũ, ſtatum ſeu vigorem, declinationem faciebat, et hanc cum madore quodam aut vaporis tranſpiratione: poſt quam totius corporis calor, vt in cæteris putridis ſolutis, miteſcebat: ſed in arterijs ſolis hecticæ ſignum manebat calor acer & mordax. Non ſufficit igitur circuitionis & acceßionum proportiones conſiderare, vt Aph. XII. libr. I. & libr. Criſeωn primo docuit ex Hippocrate, ſed potius febris typus & forma per propria ſymptomata & ſigna eſt cognoſcẽda. Nam ſi circuitionem tantum conſideras, duas tertianas dixeris quotidianã, & duas quintanas tertianam, & duas octonas quartanam. Circuitio autem, eſt acceßionis & poſt eam intermißionis ſeu quietis tempus, quod in quotidiana eſt XXIIII. horarum, in tertiana XLVIII. in quartana LXX.

Febris typus cognoſcendus.

Circuitio quid.

Proportio acceßionum, eſt temporis ad tempus, moris ad morem collatio: vt ſi acceßio fiat eadem hora, aut tardet vel anticipet æqualiter

Proportio acceßionũ.

vel inæqualiter, ordinatè vel inordinatè, ſi mitior aut malignior & ſæuior, & intermiſſionē habet puriorem, obſcuriorem, & ſymptomatôn febrilium reliquias ſeruantem. Ex ipſa igitur forma vt hominem, ſic febrem cognoſcere aſſueſce, quæ in febribus caloris qualitate, pulſu, vrinis maximè ſe prodit: nullum tamen ſignum earum quantumuis exiguum eſt omittendum: nam id aliorum certitudinem firmat, & quæ per ſe & ſola ſunt exigua, turba & numero valent.

Forma febr. quomodo cognoſcenda.

IN CAP. XIIII.

LIBRO hoc capite vndecimo promiſerat ſigna cauſſarum externarum diariæ, ſeu quibus ſine ægri reſponſo medicus mox diſcernat à quánam cauſa externa diaria hæc vel illa ſit nata, ſed hæc lib. II. Criſeôn cap. vlti. libr. VIII. Meth. & libri primi ad Glauc. abundè ſunt tradita, præterquam quòd pauca quædam deſiderantur, quibus diariam ab æſtu diſtinguas apertius à diaria ex frigore. Cur autem cauſſas huiuſmodi externas noſci à medico velit, cum ab his ceu iam deſitis nulla curandi indicatio ſumatur,

matur, ante diximus, vt ſcilicet noſcamus quænam in corpore diſpoſitio ab illa cauſſa relicta in corpore febrim fouet, ob id abigenda ſit, vt ab æſtu calor capitis & cutis inſolatu, à labore calor articulorum magis fatigatorum, à frigore cutis denſitas & alia id genus: quarum diſpoſitionum remedia libro octauo Methodi, & primo ad Glauconem ſcribuntur. Qui diaria ab æſtu laborant cutim capitis præcipuè & aliarũ partium magis inſolatarum habent calidiorem quàm corpus internum, ob id refrigerãdum magis, vt octauo Methodi docet. Et quia cor ac ventriculus & reliquum corpus internum minus adhuc incaluit quàm partes hæ primò ac inſigniter calfactæ, pulſus parum febrilis, hoc eſt paulò maior & velocior & frequentior ſentitur, & minus ſitiunt quàm vbi intus tam calent & ſiccantur (hæ enim duæ ſunt veræ ſitis cauſæ) quàm foris: quanquam & de ſiti notha quæ in ore, faucibus, & aſpera arteria à cordis caliditate per febres omnes naſcitur; niſi in quibus hæ partes à catarrhis irrigatæ humectantur, hæc intelligi poſſunt, non ſolùm de vera et animali, quæ in ore ventriculi maximè eſt, totius corporis caliditatem & ſiccitatem præci-

Sitis notha.

Sitis vera et animalis.

puè ſequuta. Quæ partes primæ agentes affe-ctum excipiunt, hæ illum habent inſigniorem, quàm quæ ab his primò alteratis afficiũtur: ob id cutis primò à ſole alterata calidior ſentitur quàm internum corpus ab hac cute alteratum. Eadem ratione ſi diaria eſt à frigore, aut balneo aluminoſo vel aliter aſtringente ſed actu frigido, cutim habet minus calidam quàm internũ corpus: & in his, vt in quotidianis diximus, calor admota diu manu increſcit. Caput etiam in diaria ab æſtu eadem ratione ægris peruri videtur: nam id parum tectum, ſoli præſertim perpendiculari obiectum bregmate raro calorem primum concepit, & ab eo vſtio incipit, vt lib. de cauſis procatarcticis: cutis verò reliqua quia veſtita magis, & obliquum magis radium diebus æſtiuis per regiones calidas præſertim excipit, minus inſigniter calefit. Frigidis irrigationibus bregmati ex alto illiſis gaudent, vt in cephalalgia ab æſtu, quod in arte curãdi ad Glauconem, & fuſiùs octauo Method. explicatur. Omnis enim pars intemperata iuuatur modico contrariorum vſu, vtpote ipſam ad natiuum tẽperamentum reducente. Oculi, vt capitis reliqui ſuperficies, multùm calent ab æſtu & à ſanguine

Caput in diaria ab æſtu præcalidum.

Oculi præcalidi ab æſtu.

guine vi caloris in eos tracto, à quo & rubent, tamen ſunt ſicci: quamuis oculus res ſit humida, quia foris ſunt ſicci, intus autẽ in venis vbi eſt ſanguis, humidi. Omnibus tamen ſicci non ſunt oculi ſeu à calore ſiccati, ſed his ſolis quibus coryza magis quàm catarrhus eos humectauit, nequaquam: nam illa in nares dum fluit per cõmune ipſis & oculo foramen ad magnum canthum oculum humectat, catarrhus per foramina palati magis in fauces, ac inde in aſperam arteriam, pulmones, ventriculum deerrat. Porro hos affectus coryzam & catarrhum ex cerebro pituita pleno efficiunt tum æſtus pituitam colliquans, vt ſol vernus ac æſtiuus, tum niues, & frigus ambiens eandem compreſſo cerebro in partes ſubiectas exprimens, vti in mœrore et luctu contingit: ita vt has fluxiones, præſertim in ſpatia inania inter partes ſimilares colli, omoplatarum, thoracis decumbẽtes, ſæpe febris excipiat pituitoſa, catarrhalis dicta vulgò. In oculis autem humida & læui parte ſiccitas eſt manifeſtior quàm reliqua facie, ob tunicæ cohærentis & albæ tenuitatem, ob quam & venæ etiã minimæ in ea ſunt conſpicuæ, quæ in cute corporis viſum effugerent. Huius ergo tunicæ tenuis Coryza. Catarrhus.

humiditatem aquoſam ſolis æſtus facilè depaſci tur. Quæ verò venæ aliæ temporum, frontis, faciei, ob ſanguinis in caput tracti à calore quopiã tenduntur, tumore magis patent quàm rubore ob cutis craßitiem, tametſi etiam obſcuro colore & manifeſto calore ſe prodant. Venarum faciei, oculorum, capitis reliqui plenitudo & tenſio facilè ſeparat diariam ex æſtu à diaria ex frigore, vt in qua venæ faciei & capitis atque adeò corporis reliqui à frigido contractæ latent in profundo, vt nobis omnibus hyeme, cum tamen æſtate aut aliter calefactis pateant maximæ, et magis in parte calidiore, quòd in eam ſanguis largior à calore trahitur, aut vi caloris feruens etiam ſemiplena vaſa diſtendit, vt olla etiam aqua ſemiplena dum feruet exundat: tamẽ qui à frigore febricitant tumentius habent corpus totum, quia cute à frigore denſata, dum nihil foras exhalat ſed intus retinetur, corpus tumefacit non venas: cõtra calor venas tumefacit, feruente aut multo ſanguine corpus detumefacit, ac digerit multa per inſenſilem trãſpirationem & ſudorem facta vacuatione. Lectio hoc loco ambigua eſt: illud, præterea quod ipſi pleni ſunt admodum, eos non parum diſtinguit ab his qui

Diaria ex æſtu ab ea quæ à frigore eſt ſeparatur.

ex

ex humorum putredine febricitant. σῆψιν nanque habuit codex Aldinus, ψῦξιν tamen id eſt frigiditatem cum Germano codice legere malui, quòd hoc loco diarias ab his duabus cauſis, æſtu & frigore, natas cognoſcere, & à ſe inuicem diſtinguere doceat, non autem diarias ab æſtu à putridis diſtinguere: vt quarum quibuſdam venæ ſanguine multo, aut feruente etiam diſtentæ ſunt; vt ſynochis putribus: quas ob id inflatiuas practici vocant. Lege igitur humorũ frigiditate etiam cum vetere interprete: nam hic locus Aetio & Paulo cætera de diarijs ex Galeno tranſcribentibus, omittitur: tametſi χυμῶν, id eſt humorum, cum frigiditate non ſolet, cum putredine ſolet addi. Ergo hæc venarũ capitis plenitudo diarias ex æſtu omnium maximè ſeparat à diarijs ex frigore. Coryza autẽ et catarrhus cùm à frigore cerebrum pituita plenum comprimente fiunt, vti & à calore eandẽ pituitam colliquante, notæ ſunt ambarum diariarum cõmunes. Quin & capite pituita multa pleno coryzæ & catarrhi, & à catarrhis ipſis febres ſymptomaticæ, in his regionibus crebræ, catarrhales dictæ practicis, fiunt à frigore frequentius quàm ab æſtu. Vbi & varia eſt le-

Apho. 21. lib. 3.
Aph. 23. lib. 3.

ctio, ſed legendum puto refrigeratum, ἤ, id eſt quàm, exuſtum, non vel: quòd febribus pituitoſis & catarrhalibus cauſa adſit frequentiſsima frigus cutim denſans & conſtipans poros, ob id hyeme fiunt plurimæ & maximè flatibus aquilonibus. Nam vt æſtate febres continuæ, ardentes, tertianæ magis fiunt, ſic hyeme pleuritides, peripneumoniæ, κόρυζαι, raucedines, tuſſes, dolores pectoris, laterum, lumborum, capitis, & vertigines & apoplexiæ. Huc pertinet quòd frigiditas etiã pituitæ generãdæ eſt cauſa, calor nõ itẽ, ſed eam in capite collectam fundit: quanquã et ex corpore impuro et excrementoſo caput æſtu vel aliter calfactũ cucurbitulæ modo ad ſe excrementa trahit, ſeq́; replet. Si verò ſubiectum corpus excrementis purum fuerit, ne replebitur quidem caput ab æſtu, ſed tantùm caleſiet. His igitur notis diariam ex æſtu, à diaria ex frigore diſtingues, non coryza aut catarrho, vtq́; ſi repletum eſt caput, à frigore & æſtu excitantur, frequentius tamen (vt dixi) à frigore. Cæterarum diariæ cauſarum ſigna libro I. ad Glauc. & libro VIII. Metho. & capite vltimo libri II. Criſeon.

Aetius.

IN

IN LIBRVM POSTERIOREM GALENI DE DIFFERENTIIS Febrium,

IACOBI SYLVII Commentarius.

LIBRO *Hippocratis de natura hominis accreuerũt particulæ aliquot, vt morborũ obſeruationes cum lib. de flatibus conſonãtes: venarum natura à Galeno damnata commentario de natura hominis, ab Ariſto. lib.III.capite III. de natura animalium, Polyb. Hippocratis diſcipulo tributa, & de febribus: cuius partis initium hoc eſt, Magna ex parte febres à bile ſunt. Genera earum quatuor abſque illis quæ doloribus eueniunt: nuncupantur autem continua, quotidiana, tertiana, quartana, continens à copioſiſſima & meraciſſima bile prouenit, & per quã citò iudicatur. Quotidiana poſt continuam à largiſſima bile eſt, & ex omnibus alijs citiſſimè euincitur. Tertiana à parciore bile fit, & diu-*

„ *turnior eſt quàm quotidiana. Quartana à par-*
„ *ciore fit bile, nec ſolùm flaua ſed etiam atra, &*
„ *diuturnior eſt, quàm tertiana et cætera. Quam opinionem falſam hoc capite conuellit, & quòd ad bilioſarum febrium generationem non ſufficiat bilem in corpore auctam eſſe, niſi etiam putredo & per corpus motio accedat, vt cap. V. dicetur. Similiter nec ad pituitoſæ febris intermittentis aut continentis generationem ſufficit pituitam in corpore augeri: nam leucophlegmatia laborantes, & pueri voraces & plurimi ſenes pituita referti ſemper febricitarent. Nec ad melancholicæ febris generationem ſufficit humorem melancholicum augeri: ſic enim ictero nigro laborantes & ſplenici, & habitu melancholico præditi febricitarent omnes: ſed putredine opus eſt repentina & recenti & motu per partes ſentientes ad intermittentium ex his humoribus febrium generationẽ. Ictericos interpres cum Celſo & Plinio vocat arcatos ab iridis arcus cœleſtis colore viridi & flauo, vnde & alijs ab auri colore auriginoſi quoque vocantur. In his flaua bilis multa cum ſanguine confuſa in corpus fertur, non ſecreta nec tracta vniuerſa à folliculo fellis imbecillo vel obſtructo in*

Icteri cauſa.

meatibus,

meatibus, per quos aut ex hepate trahit, aut in ecphyſin excernit: cui ſi putredo acceſſerit, febricitant. Aliæ icteri cauſa ſuo loco dicentur. In ictерico critico non amplius in toto corpore, ſed tantùm cuti propinquo bilis eſt larga et craſſa. A bile flaua ſeu amara largiore & meraciore fit exquiſita tum tertiana intermittens, tum cauſus, id eſt, febris ardens & continua, intermittēti quòd ad cauſam attinet ſimillima, putredinis loco tantum diuerſa & motu ac quiete, vt pòſt dicemus. Meracior autem bilis hæc gignitur à cauſis omnibus calidis ſiccis, temperamento, iuuentute, vitæ conditione, vt fabrili, laborioſa, vigiliarum & curarum & irarum plena, cibo potu parco, dulci, ſalſo, amaro, acri, calidis ſiccis medicamentis, largis, crebris, aere æſtiuo. Pituitoſa illi contraria quotidiana, à cauſis quoque contrarijs refrigerantibus, humectātibus, temperamento, pueritia, ſenectute, vita ocioſa, ebrioſa, ſedentaria, ſomno multo, intempeſtiuo, ſecuritate, cibo potu largo, ſubdulci, acido, aere hyberno. Melancholica quartana à cauſis omnibus frigidis ſiccis, temperamento, ætate declinante, vitæ genere triſti & ſollicito, cibo potu craſſo, nigro, & cæteris fuſiùs deſcriptis

Tertiana intermittens, & Cauſus vnde.

libro

libro noſtro de cauſis febrium, & Galeno libro ſecundo Criſeôn, cap. III. Satis ſit hoc loco ſcribere cur à cauſarum illarum catalogo humores ſinguli gignãtur, licet id libro de humoribus ad plenum deſcripſimus. Bilis flaua cùm ſit planè ignea & omnium quæ in nobis ſunt calidiſsima & ſicciſsima ex aerijs & dulcibus fit corporibus, multò citius & largior ex igneis: qualia ſunt ſalſa & amara carboni ſimilia (quòd ambo ſint terrea aduſta) acria, flammam referentia, vt in rebus externis quæ ligna ſunt rariora et ob id aereæ naturæ plus habent, promptius in flammam tranſeunt: quòd aer præſertim ſublimis cum ſphæra ignis inferna magnum habet ſymbolum, et âer hic infernus cum noſtro igni. Ob id mutuæ illorũ mutationes promptè fiunt: ſimili ratione aquea omnia, hoc eſt, frigida humida pituitam, terrea hoc eſt, frigida ſicca humorem melancholicum promptè generant. Quæ omnia, in ſumendorum, admouendorum, educendorum, faciendorum quantitate, qualitatẽ, &, ſi vis, tempore, adde ſi libet vtendi modum & ordinem, generationis rationem habent accedente natiua aut acquiſititia temperatura. Qua autem ex cauſa humores ſinguli in ſingulis

Bilis flaua natura & cauſa.

lis anni partibus abundent, abundè docet Gal. lib. de nat. hominis. Senes quanquã frigidi ſint & ſicci temperamento, vt in temperamentis probatum eſt, & ob id melancholicis febribus obnoxij eſſe magis videntur, tamen quia excrementis pituitoſis ob caloris imbecillitatem ſunt humidi, febribus quotidianis magis prehenduntur. Pueri autem calidi humidi ob voracitatem & motus intempeſtiuos ac inordinatos pituitæ magnam vim congerunt, ob id quotidianis etiã magis quàm ſenes prehendi conſueuerunt. Lauacrum, laconicum, frictio multa, exercitatio, illitus calorifici mox à cibo ſcilicet liquido, ſed magis pituitoſo præſertim accedente potu, quia crudum ſuccum trahit ex primis venis vbi coqui debuit in venas exiles & corporis habitum vbi coqui nequit: ſine potu autẽ id fieri non poſſe docet Gal. lib. II. ſanit. tuendæ: vbi cibo ſine potu dato exerceri iubet occupata nutrice. Accedit cibi & potus etiam vini generoſi copia, quæ quãuis calida ſunt poteſtate, vbi tamen largiora ſunt ingeſta tantùm abeſt vt calefaciant, vt etiam morbos frigidos generent. Qui vero cibi ſunt pituitoſi, licet genere iam ſit comprehenſum, quòd ſcilicet aquoſi ſint et ferè albi, vt bilioſi

Senes.

Pueri.

Lib.Meth.

lioſi flaui, melancholici nigri, tamen fuſius hæc perſequimur lib. diæticæ.

Non modo ex his cauſis tam varijs, immo & pugnantibus, patet febres omnes non eſſe biliosas, ſed quaſdam pituitoſas, melancholicaſque aliquas. Accedunt ad huius propoſiti euidentiam, quòd excreta per vomitum, deiectiones, vrinas, ſudores, in his febrium generibus maximè variant, ſemper tamen humorem ſuo febriũ generi familiarem teſtantia, bilioſa ſcilicet omnia hæc in bilioſis febribus, pituitoſa in pituitoſis, melãcholica in quartanis. Accedit ad hæc, quod nihil eorum quæ quotidianam aut quartanam præcedunt, aut cum his adeſt, teſtimonium præbet humoris bilioſi in quotidiana & quartana. Præcedunt autem præter cauſas dictas, frigus partium extremarum quotidianas, horror quartanas, vt rigor tertianas: & alia quædam in ſignis febrium dicta, & ſæpe vomitus dicti, qui etiam & adſunt acceſsionibus, & ſæpe eas finiunt: vti & aliæ vacuationes dictæ adſunt, & variæ pulſuum, caloris, vrinarum differentiæ, & ſigna alia quàm plurima tertianæ ſua, quotidianæ ſua, quartanæ ſua.

Excrementa in febribus variãt.

Signa quæ febres præcedunt.

Cùm autem dicit: Præcedens eas tertianas,

quotidianas,

quotidianas, & quartanas rigor nequaquam ſimilis eſt, latius extendit nomen rigoris, vt primo ad Glauconem: vbi quotidianæ & quartanæ rigorem frigidum ſcribit, & lib. V. Symptomatôn: vbi rigorem ſine febre qui frigidus eſt & à pituita cruda & vitrea, veteribus incognitum ſcribit: cùm verus rigor, id eſt vehemens corporis totius quaſſatio & cōmotio, tertianas exquiſitas ſemper incipiat, aut ardentes finiat. Quod ad finem capitis ſcribit humores hos tres, pituitam, bilem vtranque, motos & in omnem corporis partem delatos, febres facere intermittentes, in venis autem conditos & contentos continuas his intermittentibus finitimas, obſcurius apparet, nec adeò fide valet apud multos, ſed partim quæ in fine libri huius dicuntur, partim quæ iam adſcripſero id abundè perſuadebunt. Quomodo ſi quis paulatim alimenta colligat, donec vni paſtui, quem vel quotidie vel tertio, vel quarto quoque die vnicū faciat, ſufficiant, quos vbi coxerit ventriculus, à coquēdi munere vacabit: aut quomodo ſi idem ignis pabula paulatim colligat, donec igniculo excitando ſufficiant, qui conſumptis paucis & exilibus ſegmentis ceſſet: aut quomodo ſi ſter-

Verus rigor.

cus boum colligat quis paucum et tenuius quantum poſsit ſemel & ſimul horis aliquot putrere, id repræſentat tibi febres putridas intermittẽtes, quas excitat putris materia pauca & tenuis, pulſa vel ex venis, vel ex quibuſdam partibus per partes ſolidas, quarum quæ ſentiunt à materia illa frigus vel horrorem vel rigorem excitant pro varia humoris natura. Pituita enim ſuo contactu, & quia frigiditate continuum diuellit, primùm frigus, deinde etiam horrificum frigus excitat, tranſiens per partes ſentientes. Bilis, quia calida eſt, calorem quoque excitare deberet, quia tamen pungit & rodit partes ſentientes, ob id illis multùm dolet, calorem cũ ſanguine & ſpiritu natiuum intrò retrahi cogit: ob id per eas motum minus initio calet corpus, immo ſuffrigere videtur in ipſo rigore, poſteà verò ardet calore in corpus reuocato & accenſo, tum bilis contactu & putredine, tum partium ſingularum motu multo & vehementi per rigorem facto, vt pòſt dicemus. Quæ materia ſi intrò pellitur in carnem interiorem & verſus ventriculum & inteſtina, vomitu aut deiectione finiet acceſsionem. Ferè autem cutim verſus pellitur: ob id madore aut ſudore tandem poſt

putredinem

Digitized by Google

putredinem diſsipata, acceſsionem finit, & intermiſsionem facit puriorem & integriorem, ſi non vacuantur hi veluti cineres materiæ putrefactæ, ſed in corpore relinquũtur in intermittentibus & continuis recidiuas facere conſueuerunt, & acceſsionum exacerbationumque repetitionem anticipantes, diuturniores, grauiores, & cum pluribus, maioribus, diuturnioribus ſymptomatis, quorum etiã in intermiſsione aut febrili inclinatione bona portio perſeuerat etiam diu & ſæpe ad alteram acceſsionẽ. Si verò integrè vacuentur, contraria omnia contingunt. Non vacuantur autem propter ægri naturam denſam, ſenſu obtuſo præditam, delicatam & nolentem aut non potentem ferre ſtragula calorifica, ſudorem conuenientem, à ſudore terſionem, aut bibentem largius, frigidius, craſsius, in acceſsione incipiente, vel inclinante. Nam in vigore minus id periculoſum eſt, cum corpus æſtuat: in augmento mediocris eſt noxa, in principio maxima: in declinatione ſæpe tantũ abeſt vt noceat, vt etiam multum proſit ad ſudoris et ſolutionis celeritatem & integritatem, dum natura humiditate & frigiditate mediocri recreata & ſibi propè reſtituta ob id valentior, reli-

quias ipſas acrius perſequitur: vt in potu largo frigidæ per febres continuas, & continentes docet in Methodo Galenus. Si verò in ipſis intermittentibus etiam inclinãtibus bibat quis aquã glacialem aut niuoſam aut puteanam aut aliter crudam, aut vinum craſſum turbidum, aut cereuiſiam, aut pomatium, pyratium turbidum adhuc & crudum, naturæ impetum franget, dum materiam incrudabit & corpus denſabit, non aliter quàm ſi aeri frigido aperiret, aut balneo frigido traderet.

Alia non vacuatæ materiæ cauſa.

Non vacuantur etiã propter corporis denſitatem, vel nuper (vt iam dixi) acquiſitam, vel multò ante, vel natiuam, & ſenſum tactus obtuſiorem. Adhæc ob humoris quantitatem largam, qualitatem frigidam, craſſam, lentam, quietem: quia nec à calore interno tenuatus propellitur, nec ab externo trahitur excitato per aerem, ſtragula, frictiones, linimenta: quã ob cauſam æſtiuæ quartanæ etiam breuiores ſunt.

Analogia

Quomodo rurſus titio craſſus & ſiccus, & ſi vis ſemiputris, ignẽ parte altera conceptum fouet, alitque quoad totus fuerit cinefactus vſtione: ſic humor aliquis largior & paratior putrere in venis maioribus (qualis inter collum, alas, inguina) accenſus vritur,

Digitized by Google

tur, quoaduſque totus vrendo & putrendo erit conſumptus, & factus cineri ſimillimus. Idem accidit dum in viſceribus ipſis, cerebro, pulmone, corde, hepate, liene, ventriculo, veſica vtraque, vtero, renibus, etiam citra phlegmonas putret humor aliquis: quanquam quæ in ventriculi cauitate velut innatat pituita, quia promptè tranſpirat, ac per œſophagum & ſedem vacuatur, & multo cibo potuque in dies miſcetur, quæ eius putredinem remorantur, putrendo intermittentem frequentius facit, & eadem ratione quæ in venis eſt meſaraicis. Ob id vomitu ex lotio ante acceſsionem vacuata nō modo acceſsionem prohibuit, ſed febrim quoque extinxit: idem fecit oxymeli calidius et largius epotum. Sic & ſæpè ex putrente in liene ſucco melancholico quartana fit intermittēs, quæ vomitu ex aceto pani ſecalino vigintiquatuor horas immiſto, pòſt deſtillato, multis facilè vomentibus perſanata eſt, præſertim ſi paucus erat nec ita craſſus, aut iam coctus. Et ex bile in folliculo fellis, aut etiam ventriculi capacitate putrente, tertiana intermittens, vomitu eiuſdem per aquam chamæmeli tepidā ſanata eſt. Sic multis febres quotidianæ cùm intermittentes tum

 præci-

præcipuè continuæ ex putrente pituita in cerebro, pulmonibus, inteſtinis, veſica, vtero. Quin et ſæpe putrent hæ omnes materiæ citra febrim. Pituita nanque in cerebro paulatim putrefacta acris & graueolens inde reddita ſæpe puri ſimilis, interdum pallida, flaua, viridis excernitur, & ex pulmonibus, poſt catarrhos, & in aſthmate, & grando graueolens ex cauitatibus ad radicem epiglottidis putrida excernitur, & mulieribus, multis etiam viris per ſedem aut vomitum ex ventriculo, aut ex cerebro, aut corpore toto, aut inteſtinis, in quibus etiam ex putri pituita vermium genus omne vt alijs quibuſdam partibus gignitur ſine febre: per vrinas quoque calculoſis præſertim, & mulieribus etiam per vterum pituita putris puri ſæpe ſimillima excernitur: in folliculo fellis vſtam, & in calculos ſæpe nigros aut verſicolores verſam bilem, exectis hominibus ſæpe vidimus, cùm tamen illi nõ febricitaſſent niſi paulò ante mortem. Et multis melancholiam putrem vomitu, deiectione, vrinis excretam vidimus, qui tamen non febricitarunt, fortè quòd paulatim & longo tempore computruiſſet, aut quòd difflaretur per meatus capaciores, aut quòd corpus firmum eſſet et ſolidum,

Putredo humorum etiã ſine febre.

ſolidum, & ſenſu obtuſo præditum: ob id febriculam inde natam neglexit, tanquam nulla eſſet: quæ negligentia hodie eſt multis etiam in magna febre.

IN CAP. II.

FEBRIS intermittens tantùm triplex, bilioſa, pituitoſa, melancholica: ſed harum vna quæuis multiplex, vt humorum huiuſmodi quiſque vel naturalis eſt, vel non naturalis, vel præter naturam: quibus ſingulis putredo accedere poteſt, ac febris ſpeciem nonnihil diuerſam excitare. Nam bilis naturalis, vt pallida, ſi talẽ corporis natura & cauſæ aliæ ſalubres ſanguini conuenientem poſtulant, tertianam fecerit mitiſſimam, ſæuiorem rufa, poſt hanc flaua, deinde rubra, vitellina, praſina, æruginoſa, iſatodes: ſic pituita dulcis, inſipida, acida, vitrea, ſalſa, aliam atque aliam pituitoſæ febris ſpeciẽ putrendo excitat. Et humor melancholicus nullam prius vſtionem expertus, quartanam mitiorem nunc primùm putrendo efficit, quàm ſi iam vrendo in melancholiam abierit, quæ vndecunque fiat, moleſtiſſimam & malignißimã

Febris inter mittens triplex.

Bilis multiplex.

Pituita multiplex.

Humor melancholicus.

facit quartanam, præcipuè tamen ſi ex bile flaua vſtione multa & longa effecta ſit. Nã quæ ex ſanguinis putrentis, vel ardentis parte craſſiore fit benignior multò eſſe ſolet, et hæc adhuc quam ex vſta pituita melancholiam practici cõſtituunt. Sed quæ febrium genera ex ſanguine putrente fiant, capite duodecimo huius libri dicemus. συνεχὴς *id eſt, continens febris duplex eſt, vna* συνοχὸς, *id eſt continua, altera generis nomine, vt in alijs pleriſque fieri ſolet,* συνεχὴς *id eſt, continens appellata. Rurſus* συνοχὸς, *putris ſcilicet, & quæ ex ſanguine putrente fit biliosa, triplex: homotonos ſeu acmaſtica, id eſt ſimiliter vigens, et ſibi æqualis ac ſimilis: anabatica ſeu epacmaſtica, id eſt aſcendens & increſcens: paracmaſtica, id eſt ab initio ad finem ſemper decreſcens: quæ tres differentiæ, in methodo tribuuntur etiam ſynocho non putri in diarias reiectæ à Galeno ibidem.* συνεχὴς *quoque triplex eſt, pituitoſa, bilioſa; prius in* συνοχὸν *putrem (de qua pòſt capite duodecimo. & lib. IX. & XI. Methodi) &* συνεχῆ *nomine generis dictam diuiſa, & quæ rarò accidit melancholica; quarum trium ab initio ad finem vnica eſt acceſſio, vt trium ſynochorum prædictarũ:*

ſed

Digitized by Google

ſed hoc intereſt, quòd in ſynochis nulla aut minima ab initio ad finem mutatio fiat: συνεχέσι verò ſeu continentibus mutatio accidit pituitoſis quotidie, bilioſis tertio quoque die, melancholicis quarto, vt ſcribit ex ſententia iuniorum medicorum Galenus libr. primo Epid. Porrò hæc mutatio eſt noua quædam exacerbatio, & febris (vt vocatur vulgo) reduplicatio, per quam noua quædam acceſſio prehendere videtur. Nã vt per initia acceßionis intermittentium horror aut frigus partium extremarum fit & ad ſomnũ propenſio, pigritia inſignis, inæqualitas quædam caloris, & pulſus paruus, debilis, tardus, rarus fit: ſic etiam iſtis exacerbationibus prehendentibus, quæ dum augentur ac vigent, ſitim, dolorem capitis vehementem, inquietudinem, calorem intolerabilem excitant, vt intermittentium acceßiones, vt videri poßit continens febris cum ſua & ſibi finitima intermittẽte coniuncta. Sed in bilioſa continente per exacerbationes rigor non fit, vt per acceßionẽ ſuæ intermittentis, niſi dum hæc criſi mox ſoluenda eſt, quia corpus à continua calfactũ minus ſentit morſum iam incendi paratæ portionis bilis: vt qui pugnãdo ſunt calfacti, etiam cum vulnerantur

rantur non ſentiunt. Quare etiam, opinor, qui oculi hypochymata (cataractas vocant vulgò) acu deturbare parant, prius oculum efflatione calentiſſima ex manſo zingibere, & frictione calfaciunt, quàm acu ſua oculum magno cantho obuerſum in paruo cantho pungant: quanquam vbi hæc continens bilioſa & ardens ſoluenda eſt, fit rigor, quia corpus à largiſſima & vrentiſſima materia vbique pungitur. Has verò exacerbationes, id eſt παροξυσμοὺς, acceſſiones vocant, vt intermittentium: ſed harum ſolutionem παρακμὴν, inclinationem ſcilicet febrilem vocant, non vt intermittentium ἀπυρεξίαν, id eſt infebricitationẽ, integritatem, quietem, intermiſſionem à febre puram & liberã.

Cataractæ acu depelluntur.

Quod autem prius monuit, ne minus attenti periodis malè febrium differentias inſtituamus, hoc quoque loco repetendum eſt. Nam vt duæ intermittentes tertianæ & tres quartanæ typũ quendam quotidianæ præferunt: ſic continens tertiana duplex continentis quotidianæ imaginẽ mentitur, periodis ſaltem. Si autem cuiuſque febris ſimplicis formam ex proprijs ipſius ſignis ſpectes, duplicem continentem tertianam à ſimplici continente quotidiana tam facilè ſeparabis, quàm

Quomodo febrium implicatarũ deprehẽdãtur differentiæ.

Digitized by Google

quàm duas tertianas, aut tres quartanas intermittentes ſecum implexas ab vna ſimplici & intermittente quotidiana. Nam in hac acceſsiones ſunt ſibi ſimiles: in complicatis tertianis et quartanis, diſsimiles. In illis enim primæ ſimilis erit tertia, quinta, ſeptima, & quæcunque poſtea diebus imparibus repetet: ſecundæ, quarta, ſexta, octaua, & quæcunque diebus his paribus repetet. In his vero primæ quarta, ſecundæ quinta, tertiæ ſexta erit ſimilis, & ita conſequenter ſua cuique quarta ſimilis exiſtet, ſignis his quæ initio, augmento, ſtatu, declinatione, intermiſsione, & cuiuſque horum duratione, longiore breuiore, aut more benigno maligno apparere conſueuerunt. Sed quia ſimplex, & natura & doctrina, compoſito prius eſt, ſimplices febrium differẽtias prius abſoluamus, poſt ad compoſitas et inuicem complicatas tranſituri, quas etiam libro de typo fuſiùs coniugauimus.

IN CAP. III.

SVMENDA, admouenda, educenda, facienda omnia calida ſicca, in calido ſicco tempe-

temperamento bilioſam febrim excitare, eadem frigida humida, in frigido humido temperamento, pituitoſam: frigida ſicca, in temperamento frigido ſicco, melancholicam, capite primo libri ſecundi abundè eſt declaratum. Quòd autem cũ rigore, id eſt vehementi corporis totius agitatione & concuſsione, acceſsio tertianæ intermittentis prehendat, dictum quoque prius eſt. Cur autem hic humor ſolus hanc inæqualem & inuitam corporis partium omnium commotionem excitet, poſt dicetur. Ex bile omniũ quæ in nobis ſunt etiam ſanis calidiſsima, multò iam ſeipſa per putredinem calidiore, fieri febrim tertianam, tam intermittentem quàm continentem καυσώδη *& ardentem, vt iam latius* καυσώδεος *ſeu ardentis ſignificatio pateat, miri nihil eſt, vti contra ex pituita frigidiſsima, febrim fieri minimùm calidam & vrentem, ex melancholico humore natura medio, medio inter has modo calentem. Hic enim ſermo communiter ad omnes pertinet febres & humores, qua dixi cautione, vti & quòd ſequitur de acceſsionis tempore, & febris totius cõſtitutione. Nam*

Tertiana exquiſita acceſsio.

tertiana exquiſita, ſeu legitima & vera & pura, quòd ex ſincera bile fiat, acceſsionem habet

longiſsi-

longiſsimam horarum duodecim, quando ſcilicet bilis flaua eſt multa, craſſa, facultas naturalis coctrix & expultrix (nam vitalis & animalis per ſe parum morbis curandis proſunt, ſed animalis per reſpirationis & exercitationis cõmoda, vitalis per pulſus vſum prodeſt) imbecilla, & ſenſus tactus partium per quas fertur bilis eſt obtuſior, ob id tardius expellitur bilis, & corpus per quod excernenda eſt, denſius eſt: quibus ſimul omnibus plurimum auctis, etiam horas duodecim excedere poteſt. Sẽſus tactus obtuſitas, & præterea quies, additur Galeno lib. quinto Sympt. & poſt eum Auicennæ, vt ad celerem ſolutionem ſenſus tactus exactior, & motus ægri, & humoris, vt de ambulatione in ſanitate tuenda, de materia turgente & elleboro poto in Aphoriſmis apparet. Contra verò ſi bilis pauca, tenuis, facultas expultrix robuſta; corpus ſenſu tactus exacto præditum, & rarũ, horarum eſſe trium acceſsio poteſt; immo & breuior auctis ſimul plurimum omnibus his cauſis: ob id Auicennas huius acceſsionem nũc ab horis quatuor ad duodecim extendit, nũc ab horis tribus ad quatuordecim. Cauſis autem his pluribus paucioribus, auctis minutis multum pa

rum

nis, pro cauſarum dictarum virtute & numero: de quibus iterum lib.II. cap.XVI. Nec ſolùm illæ longitudinis cauſæ cõcurrentes longam faciũt acceſsionem, ſed intermiſsionem breuem & plenam reliquijs ſymptomatôn, quæ per acceſsionem conflictarunt hominem, & materiarum quæ putruerunt, aut ſemiputres remanſerunt: quarum occaſione acceſsio noua mox repetit, etiã ſine magna nouæ pituitæ copia, quòd reliqua incendi apta, putredinem citius renouet: quomodo carbones ſemiuſti, aut titiones obuſti ad ignem excitandum ſunt aptiores quàm integri. Ergo ad tardiorem tertianæ repetitionem totius bilis in acceſsionis declinatione vacuatio facit, & vincit bilis ipſius ad accendendũ promptitudinem: cõtra in pituitoſa ad celeriorem et quotidianam repetitionem relicta in nobis ex priori acceſsione pituita ſemiputris et ſemiuſta, vincit pituitæ ipſius ad accendendum ineptitudinem: quomodo qui ignem ex lignis viridibus & craſsis molitur, ſuppoſitis minutioribus faſcibus & ſiccis, & iam prius accenſis & ſemiuſtis titionibus, ignem mox excitat. Ergo in pituitoſis febribus omnibus pituitæ quantitatem quidem primùm minue tum phlegmagogis, tũ

Pituitæ quãtitas quomodo minuẽda

victu

victu probo calfaciente & ſiccante, & tenuante, & incidente, & tergente quantum febris ipſa patitur, ſeu quãtum febrem ipſam nihil aut minimum augeat: qualitatem verò dictis nunc auxilijs corrige, craſſitiem ſcilicet tenuantibus, lentorem incidentibus & tergentibus: deinde expultricem partium virtutem calorificis frictionibus, laboribus cõſuetis, ſed remiſſa eorum vehementia, roborabis: corpus iiſdem rarefac & lecto calente. Poſtremò cùm natura ſub declinationem acceſsionis quotidianæ excretionem aliquam molitur ſudoribus, aut aliter, eius motum ſalubrem adiuua: iunctis enim viribus naturæ & medici, effectum præſtantius expectãdum eſt, præſertim cùm parata iam ſit à natura materia, & corpus ſit fluidum & rarefactum. Id quod ſi alio tempore, vt initio acceſsionis ipſe moliaris, quia rebellis adhuc eſt materia, nec adminiculantem habes naturam, valentibus etiam remedijs hydroticis prædictis nihil promoueris: quin potius plurimum incommodaueris torminibus, ſcotomatibus, lipothymijs, & alijs ſymptomatibus etiam vehementibus excitatis. Vt enim concocta medicari, atque mouere ſolet natura criſi in ſtatu aut de- Apho. 22. lib. 1.

clinatione morbi totius, ſic etiam in declinatione ſingularum acceſsionum: quem naturæ motum qui imitabitur & iuuabit medicus, & prudens fuerit, & ægrorum ſalutis conſultiſſimus.

Quartana febr. acceſſ. *Sic denique humor melancholicus multus & ſeipſo, ſuaque natura terrea craſſior, in viribus imbecillis, corpore obtuſius ſentiente, denſiore, acceſſionem faciet ſuam lõgiſsimam, quæ tamen breuior eſt longiſsima quotidianæ acceſſione, longior autem longiſsima tertianæ acceſſione. Poſt eandem longiſsimam acceſsionem intermiſsio erit impurior & minus integra, nec per eam æger actiones conſuetas obire poterit: ſed ſibi adhuc diſplicebit ob reliquias quaſdam tum humoris illa acceſsione putrefacti, tũ ſymptomatum illius ſequentium. Contra parcior, tenuior, cum viribus robuſtis, tactu exacto, corpore raro, breuiorem facit acceſsionem, & ab ea puriorem intermiſsionem. Quarum breuioris acceſsionis cauſarum quò plures & efficaciores coierint, eò breuior fiet acceſsio: quò pauciores & imbecilliores, eò longior. Vnde æſtiuæ quartanæ breues ſunt Hippocrati, quia humor melancholicus caloris æſtiui actione eſt tenuior,*

nuior, & ab eadem corpus rarius, licet vires ſint imbecilliores: hyemales longiſſimæ, ob cauſas contrarias. Sed cur acceſſiones quotidianæ à cauſis paribus ſunt longiores quàm quartanæ, conſtitutio tamen quartanæ eſt longior quàm quotidianæ à cauſis etiam paribus? an non ſemper ſe conſequuntur acceſſionis & conſtitutionis breuitas & longitudo? nec opus eſt vt ſi tertianæ exquiſitæ acceſſiones breuiſſimæ ſint horarum tantum trium aut quatuor, conſtitutio etiam debeat finiri duabus acceſſionibus? Nam quæ proportio eſt horarum trium ad duodecim horas acceſſionis lõgiſſimæ, eadem propè eſt acceſſionum duarum ad ſeptem, quibus exquiſita tertiana finitur Hippocrati. Acceſſiones enim breuiſſimas in plures multò dies producere poteſt bilis flaua, pauca quidem & tenuis, cum viribus robuſtis; et cauſis reliquis, ſed quotidie ex victu prauo, aut partis alicuius imbecillitate vel natiua vel acquiſititia, per intemperiẽ præſertim calidam ſiccam. Contra poſſunt acceſſiones longiſſimæ conſtitutionem & totius febris durationem facere breuiorem, ſi victu probo æger vtatur, & humorem noxium identidem purget. Non eſt igitur neceſſe tempora particu-

 laria

laria vniuerſalibus, nec vniuerſalia particularibus ſemper reſpondere: vt ſi illa ſint longa, & hæc quoque longa ſint, ſin breuia illa, & hæc breuia: ſed ſi omnia ponas paria, verbi gratia naturæ committas omnia, neque ex victu probo aut improbo, purgatione, aut purgationis abſtinentia nihil varient, an ſibi reſpondebunt? Sed ad caput tertium reuertor. Intermiſsio febris tertianæ pura eſt ac integra, reliquijs vſtæ bilis, & ob id ſymptomatibus febrilibus, calore, inquietudine, capitis dolore, ſiti, deiecta appetentia, & pulſu inæquali, & cæteris acceſsionem comitatis. Nam in pulſu nullum putrentis humoris iudicium ex inæqualitate in vno pulſu percipi poteſt poſt ſolutã acceſsionem. Quæ pòſt ſequuntur, parui ſunt momenti, & obſcuriora: quòd dies multos intermiſsioni tertianæ exquiſitæ tribuere videantur, vt mendum ſit ſuſpectũ etiam in Græco exẽplari, cuius fidem interpres hic ſequutus eſt. Niſi ſupponas febrem tertianã huius diei hora verbi gratia octaua matutina prehendiſſe, & finijſſe hora prima, ſecunda, vel tertia, aut circiter: tunc ſequens dies intelligatur reliquum huius diei, ab hora prima, ſecunda, vel tertia, & nox proxima, tunc cra-

ſtinæ

ſtinæ diei partes primæ erunt matutinæ & antemeridianæ, & finis eiuſdem veſper, & noctis craſtinæ partes primæ & fines ſimiliter intelligentur: atque adhuc clarius proxima parte diei vel noctis: ſic enim interpretari mallem ἐπὶ τῆς ἐχομένης, ſcilicet ἡμέρας ἢ νυκτὸς, vt in fine noctis craſtinæ vel principio diei tertij, in quo circa octauam acceſsio eſt repetitura. Vſque ad vigorem ergo putredinis ſignũ in pulſu, hoc eſt inæqualitas, augetur: deinde minuitur in vigore, propter cauſam prius dictam in pulſu febrium putridarum. Cap. 9. p.

IN CAP. IIII.

QVAE capite ſuperiore communiter de intermittentibus omnibus & continuis diximus, breuiorem capitis huius et ſequentis interpretationem reddiderint. Febris quotidiana ſimplex, ex pituita non ſolùm auctiore in corpore, ſed etiam putrente, facit febrim intermittẽtem quidem, ſi per partes ſentientes moueatur: continuam verò, ſi in venis maioribus condita & contenta putreſcat: ſine motu tamen, quem tũ primùm natura & facultas expultrix excita- Febris quotidiana ſimplex.

 bit,

bit, cùm materia omnis pituitoſa & ſimiliter alia, putrere parata perfectè putruerit: ita vt iam criſi, id eſt ſubita naturæ mutatione, & motu, vacuanda ſit in abſceſſum pituita frequẽtius vti & melancholia, vt bilis flaua ſudoribus, vomitibus, deiectionibus, vrinis, mẽſtruis interdum purgationibus, & per hæmorrhoidas, ſæpius ex naribus hæmorrhagia. Incipit à frigore partium extremarum, pedum, pudendi, manuum, naſi, auricularum, labiorum, & cutis partiumque illi vicinarum: ſeu quòd ſanguis & ſpiritus, cum calore intrò ſe, vt initio aliarum febrium, recipiant (quapropter initio acceſsionis ſomnum vetamus, ne geminatis motibus illa tria intrò nimis conculcentur & ſuffocentur, aut tardius ad coquendum hanc materiam reuocentur: & vigilias imperamus, ob cauſas contrarias) ſeu quod humor adhuc frigidus, nondum putredine accenſus, ſuo contactu partes has ad quas mouetur, refrigerat. Aut ab horrore potius, vbi ſcilicet moueri aptior eſt pituita, aut mordacior. Nam horror quartanæ magis eſt proprius, vt rigor verus tertianæ: vt in ſymptomatis diximus. Si bilis flaua quia calida ſicca, tenuis, leuis, & ob hæc igni proxima,

ma, facilè incenditur, pituita frigida humida, ſæpe craſſa & lenta ægrè incenditur, & tardè mouetur, quia frigidum ad motiones ineptum eſt: adhæc denſando poros ſibi viam præcludit, motus per poros ſic adſtrictos difficultatem auget humoris craßities, & ſæpe lentor. Vires omnes premit, frangit & grauat dictis qualitatibus: ob grauatas autem vires vitales, pulſus etiam fit inæqualis, non ob ſolam putredinem. Pulſus initio febrium omnium etiam tertianarum, debilis, paruus, tardus, rarus neceſſariò eſt: quæ ſymptomata in quotidiana ob dictas cauſas etiam per initium incrementi perſeuerant, in tertiana mox abolentur, ſucceduntque augmento contrarij, validus, magnus, velox, frequens. Euacuationes quotidianæ acceßionis, breues & paucæ. Nam eius inclinationes, vt tertianæ, & quartanæ, non finiuntur ſudoribus, quare nec ad integram quietem, exceptis paucis, perueniunt: attamē & hæc vbi exquiſita fuerit, multis habere puram intermißionē videtur, tamen re uera nec integrè per acceßionum inclinationes purgatur, nec exiguum relinquit materiæ ſuccenſæ; vnde intermißio deterior, & acceßionis ſecundæ principium accele-

Libr. 2. Criſ. ca. 3.

Libr. 1. ad Glauc.

rantur non ſentiunt. Quare etiam, opinor, qui oculi hypochymata (cataractas vocant vulgò) acu deturbare parant, prius oculum efflatione calentiſſima ex manſo zingibere, & frictione calfaciunt, quàm acu ſua oculum magno cantho obuerſum in paruo cantho pungant: quanquam vbi hæc continens bilioſa & ardens ſoluenda eſt, fit rigor, quia corpus à largiſſima & vrentiſſima materia vbique pungitur. Has verò exacerbationes, id eſt παροξυσμοὺς, *acceſſiones vocant, vt intermittentium: ſed harum ſolutionem* παρακμὴν, *inclinationem ſcilicet febrilem vocant, non vt intermittentium* ἀπυρεξίαν, *id eſt infebricitationẽ, integritatem, quietem, intermiſſionem à febre puram & liberã.*

Cataracta acu depelluntur.

Quod autem prius monuit, ne minus attenti periodis malè febrium differentias inſtituamus, hoc quoque loco repetendum eſt. Nam vt duæ intermittentes tertianæ & tres quartanæ typũ quendam quotidianæ præferunt: ſic continens tertiana duplex continentis quotidianæ imaginẽ mentitur, periodis ſaltem. Si autem cuiuſque febris ſimplicis formam ex proprijs ipſius ſignis ſpectes, duplicem continentem tertianam à ſimplici continente quotidiana tam facilè ſeparabis,

Quomodo febrium implicatarũ deprehẽdãtur differentiæ.

quàm

quàm duas tertianas, aut tres quartanas intermittentes ſecum implexas ab vna ſimplici & intermittente quotidiana. Nam in hac acceſſiones ſunt ſibi ſimiles: in complicatis tertianis et quartanis, diſſimiles. In illis enim primæ ſimilis erit tertia, quinta, ſeptima, & quæcunque poſtea diebus imparibus repetet: ſecundæ, quarta, ſexta, octaua, & quæcunque diebus his paribus repetet. In his vero primæ quarta, ſecundæ quinta, tertiæ ſexta erit ſimilis, & ita conſequenter ſua cuique quarta ſimilis exiſtet, ſignis his quæ initio, augmento, ſtatu, declinatione, intermiſſione, & cuiuſque horum duratione, longiore breuiore, aut more benigno maligno apparere conſueuerunt. Sed quia ſimplex, & natura & doctrina, compoſito prius eſt, ſimplices febrium differẽtias prius abſoluamus, poſt ad compoſitas et inuicem complicatas tranſituri, quas etiam libro de typo fuſiùs coniugauimus.

IN CAP. III.

SVMENDA, admouenda, educenda, facienda omnia calida ſicca, in calido ſicco tempe-

temperamento bilioſam febrim excitare, eadem frigida humida, in frigido humido temperamento, pituitoſam: frigida ſicca, in temperamento frigido ſicco, melancholicam, capite primo libri ſecundi abundè eſt declaratum. Quòd autem cū rigore, id eſt vehementi corporis totius agitatione & concuſsione, acceſsio tertianæ intermittentis prehendat, dictum quoque prius eſt. Cur autem hic humor ſolus hanc inæqualem & inuitam corporis partium omnium commotionem excitet, pòſt dicetur. Ex bile omniū quæ in nobis ſunt etiam ſanis calidiſsima, multò iam ſeipſa per putredinem calidiore, fieri febrim tertianam, tam intermittentem quàm continentem καυσώδη *& ardentem, vt iam latius* καυσώδεος *ſeu ardentis ſignificatio pateat, miri nihil eſt, vti contra ex pituita frigidiſsima, febrim fieri minimùm calidam & vrentem, ex melancholico humore natura medio, medio inter has modo calentem. Hic enim ſermo communiter ad omnes pertinet febres & humores, qua dixi cautione, vti & quod ſequitur de acceſsionis tempore, & febris totius cōſtitutione. Nam tertiana exquiſita, ſeu legitima & vera & pura, quòd ex ſincera bile fiat, acceſsionem habet longiſsi-*

Tertiana exquiſita acceſsio.

longiſsimam horarum duodecim, quando ſcilicet bilis flaua eſt multa, craſſa, facultas naturalis coctrix & expultrix (nam vitalis & animalis per ſe parum morbis curandis proſunt, ſed animalis per reſpirationis & exercitationis cõmoda, vitalis per pulſus vſum prodeſt) imbecilla, & ſenſus tactus partium per quas fertur bilis eſt obtuſior, ob id tardius expellitur bilis, & corpus per quod excernenda eſt, denſius eſt: quibus ſimul omnibus plurimum auctis, etiam horas duodecim excedere poteſt. Sẽſus tactus obtuſitas, & præterea quies, additur Galeno lib. quinto Sympt. & poſt eum Auicennæ, vt ad celerem ſolutionem ſenſus tactus exactior, & motus ægri, & humoris, vt de ambulatione in ſanitate tuenda, de materia turgente & elleboro poto in Aphoriſmis apparet. Contra verò ſi bilis pauca, tenuis, facultas expultrix robuſta, corpus ſenſu tactus exacto præditum, & rarũ, horarum eſſe trium acceſsio poteſt; immo & breuior auctis ſimul plurimum omnibus his cauſis: ob id Auicennas huius acceſsionem nũc ab horis quatuor ad duodecim extendit, nũc ab horis tribus ad quatuordecim. Cauſis autem his pluribus paucioribus, auctis minutis multum pa

rum

rum, infinitum eſt quantum pateat in medio ha rum latitudo, maioris tantùm et minoris ratione diſcreta. Cùm igitur cauſas acceſsionis breuis ſalubres effectrices (quia breues acceſsiones & conſtitutiones, longam & propinquam ſanitatem faciunt) has quinque cernas in bilioſa febre, ac reliquis materialibus, atque adeò morbis omnibus materialibus (niſi magnum aliquod incommodum intercedat) bilem multam quidẽ vacua, & per ſe cholagogis, & per accidens fuga calidorum & ſiccorum omnium ſumendorum, admouendorum, educendorum, faciendorum, & vſu frigidorum & humidorum omnium. Craſſam verò vt vitellinam tenua: facultatem quoque partium expultricem à calore immodico ſolutam, & ob id imbecillam, robora frigidis humidis, ſubaſtringentibus ſumptis præcipuè: nam talia admoueri nolim, quoniam corpus denſant, quod tamẽ rarum eſſe oportet: quale ſi non ſit, frictione molli & multa, aut ſtragulis modicè calẽtibus, aut balneo aquæ dulcis in declinatione adhibito, efficias, vt tranſpiret quantum bilis acceſsione illa cõputruit: quæ res intermiſsionem facit puriorem, integriorem, liberiorem omnibus febris reliquijs & ſymptomatis:

Bilis flauæ vacuatio.

matis: & ob id naturæ motum ſub acceßionis finem imitari ſaluberrimum puto: vt cùm hæc paratam acceßione tota materiam in ſudorem (quod ferè fit) vel vomitum, vel deiectionem, vel vrinas propellit, eius motum adiuues potu calido, ſed largo vini albi imbecilli, aqua cocta multa diluti: aut oxymelite Galeni multùm aquoſo calido: aut aqua chamæmeli, aut oxalidis, aut ſimili per ſe, & per accidens, aut ſaltē per accidens refrigerante. Nā quo natura vergit, ſi loca ſunt conferentia, eò ducere expedit. Quod præceptum non in tertiana tantum ſeruatum velim magno mortalium commodo, ſed etiam in reliquis tum febribus, tum morbis. Naturæ motus iuuādus

Sic quotidiana acceßionem habet longißimam, ita vt ſæpe horas vigintiquatuor duret, & continenti proxima, ſimilisque efficiatur: quando ſcilicet pituita eſt multa, craſſa, lenta, frigida: facultas expultrix imbecilla, ſenſus tactus partium obtuſius, corpus denſum: contra, breuißimam, vbi omnia adſunt contraria: pituita pauca, tenuis et multum liquida & aquoſa, valens expultrix facultas, ſenſus tactus exactior, corpus rarum, latitudine magna remanēte in medio longißimæ & breuißimæ acceßio- Quotidianæ acceßio longiß. quādo. & contrà.

nis,

nis, pro cauſarum dictarum virtute & numero: de quibus iterum lib. II. cap. XVI. Nec ſolùm illæ longitudinis cauſæ cōcurrentes longam faciūt acceſsionem, ſed intermiſsionem breuem & plenam reliquijs ſymptomatôn, quæ per acceſsionem conflictarunt hominem, & materiarum quæ putruerunt, aut ſemiputres remanſerunt: quarum occaſione acceſsio noua mox repetit, etiā ſine magna nouæ pituitæ copia, quòd reliqua incendi apta, putredinem citius renouet: quomodo carbones ſemiuſti, aut titiones obuſti ad ignem excitandum ſunt aptiores quàm integri. Ergo ad tardiorem tertianæ repetitionem totius bilis in acceſsionis declinatione vacuatio facit, & vincit bilis ipſius ad accendendū promptitudinem: cōtra in pituitoſa ad celeriorem et quotidianam repetitionem relicta in nobis ex priori acceſsione pituita ſemiputris et ſemiuſta, vincit pituitæ ipſius ad accendendum ineptitudinem: quomodò qui ignem ex lignis viridibus & craſsis molitur, ſuppoſitis minutioribus faſcibus & ſiccis, & iam prius accenſis & ſemiuſtis titionibus, ignem mox excitat. Ergo in pituitoſis febribus omnibus pituitæ quantitatem quidem primùm minue tum phlegmagogis, tū

Pituitæ quātitas quomodo minuēda

victu

victu probo calfaciente & ſiccante, & tenuante, & incidente, & tergente quantum febris ipſa patitur, ſeu quãtum febrem ipſam nihil aut minimum augeat: qualitatem verò dictis nunc auxilijs corrige, craſsitiem ſcilicet tenuantibus, lentorem incidentibus & tergentibus: deinde expultricem partium virtutem calorificis frictionibus, laboribus cõſuetis, ſed remiſſa eorum vehementia, roborabis: corpus iiſdem rarefac & lecto calente. Poſtremò cùm natura ſub declinationem acceſsionis quotidianæ excretionem aliquam molitur ſudoribus, aut aliter, eius motum ſalubrem adiuua: iunctis enim viribus naturæ & medici, effectum præſtantius expectãdum eſt, præſertim cùm parata iam ſit à natura materia, & corpus ſit fluidum & rarefactum. Id quod ſi alio tempore, vt initio acceſsionis ipſe moliaris, quia rebellis adhuc eſt materia, nec adminiculantem habes naturam, valentibus etiam remedijs hydroticis prædictis nihil promoueris: quin potius plurimum incommodaueris torminibus, ſcotomatibus, lipothymijs, & alijs ſymptomatibus etiam vehementibus excitatis. Vt enim concocta medicari, atque mouere ſolet natura criſi in ſtatu aut de- Apho. 22. lib. 1.

clinatione morbi totius, ſic etiam in declinatione ſingularum acceßionum: quem naturæ motum qui imitabitur & iuuabit medicus, & prudens fuerit, & ægrorum ſalutis conſultiſſimus.

Quartana febr. acceſſ.

Sic denique humor melancholicus multus & ſeipſo, ſuaque natura terrea craßior, in viribus imbecillis, corpore obtuſius ſentiente, denſiore, acceßionem faciet ſuam lõgißimam, quæ tamen breuior eſt longißima quotidianæ acceßione, longior autem longißima tertianæ acceßione. Poſt eandem longißimam acceßionem intermißio erit impurior & minus integra, nec per eam æger actiones conſuetas obire poterit: ſed ſibi adhuc diſplicebit ob reliquias quaſdam tum humoris illa acceßione putrefacti, tũ ſymptomatum illius ſequentium. Contra parcior, tenuior, cum viribus robuſtis, tactu exacto, corpore raro, breuiorem facit acceßionem, & ab ea puriorem intermißionem. Quarum breuioris acceßionis cauſarum quò plures & efficaciores coierint, eò breuior fiet acceßio: quò pauciores & imbecilliores, eò longior. Vnde æſtiuæ quartanæ breues ſunt Hippocrati, quia humor melancholicus caloris æſtiui actione eſt tenuior,

nuior, & ab eadem corpus rarius, licet vires ſint imbecilliores: hyemales longiſsimæ, ob cauſas contrarias. Sed cur acceſsiones quotidianæ à cauſis paribus ſunt longiores quàm quartanæ, conſtitutio tamen quartanæ eſt longior quàm quotidianæ à cauſis etiam paribus? an non ſemper ſe conſequuntur acceſsionis & conſtitutionis breuitas & longitudo? nec opus eſt vt ſi tertianæ exquiſitæ acceſsiones breuiſsimæ ſint horarum tantum trium aut quatuor, conſtitutio etiam debeat finiri duabus acceſsionibus? Nam quæ proportio eſt horarum trium ad duodecim horas acceſsionis lõgiſsimæ, eadem propè eſt acceſsionum duarum ad ſeptem, quibus exquiſita tertiana finitur Hippocrati. Acceſsiones enim breuiſsimas in plures multò dies producere poteſt bilis flaua, pauca quidem & tenuis, cum viribus robuſtis; et cauſis reliquis, ſed quotidie ex victu prauo, aut partis alicuius imbecillitate vel natiua vel acquiſititia, per intemperiẽ præſertim calidam ſiccam. Contra poſſunt acceſsiones longiſsimæ conſtitutionem & totius febris durationem facere breuiorem, ſi victu probo æger vtatur, & humorem noxium identidem purget. Non eſt igitur neceſſe tempora particu-

 laria

laria vniuerſalibus, nec vniuerſalia particularibus ſemper reſpondere: vt ſi illa ſint longa, & hæc quoque longa ſint, ſin breuia illa, & hæc breuia: ſed ſi omnia ponas paria, verbi gratia naturæ committas omnia, neque ex victu probo aut improbo, purgatione, aut purgationis abſtinentia nihil varient, an ſibi reſpondebunt? Sed ad caput tertium reuertor. Intermiſsio febris tertianæ pura eſt ac integra, reliquijs vſtæ bilis, & ob id ſymptomatibus febrilibus, calore, inquietudine, capitis dolore, ſiti, deiecta appetentia, & pulſu inæquali, & cæteris acceſsionem comitatis. Nam in pulſu nullum putrentis humoris indicium ex inæqualitate in vno pulſu percipi poteſt poſt ſolutã acceſsionem. Quæ poſt ſequuntur, parui ſunt momenti, & obſcuriora: quòd dies multos intermiſsioni tertianæ exquiſitæ tribuere videantur, vt mendum ſit ſuſpectũ etiam in Græco exẽplari, cuius fidem interpres hic ſequutus eſt. Niſi ſupponas febrem tertianã huius diei hora verbi gratia octaua matutina prehendiſſe, & finijſſe hora prima, ſecunda, vel tertia, aut circiter: tunc ſequens dies intelligatur reliquum huius diei, ab hora prima, ſecunda, vel tertia, & nox proxima, tunc craſtinæ

ſtinæ diei partes primæ erunt matutinæ & antemeridianæ, & finis eiuſdem veſper, & noctis craſtinæ partes primæ & fines ſimiliter intelligentur: atque adhuc clarius proxima parte diei vel noctis: ſic enim interpretari mallem ἐπὶ τῆς ἐχομένης, ſcilicet ἡμέρας ἢ νυκτὸς, vt in fine noctis craſtinæ vel principio diei tertij, in quo circa octauam acceſſio eſt repetitura. Vſque ad vigorem ergo putredinis ſignū in pulſu, hoc eſt inæqualitas, augetur: deinde minuitur in vigore, propter cauſam prius dictam in pulſu febrium putridarum. Cap. 9. p.

IN CAP. IIII.

QVAE capite ſuperiore communiter de intermittentibus omnibus & continuis diximus, breuiorem capitis huius et ſequentis interpretationem reddiderint. Febris quotidiana ſimplex, ex pituita non ſolùm auctiore in corpore, ſed etiam putrente, facit febrim intermittētem quidem, ſi per partes ſentientes moueatur: continuam verò, ſi in venis maioribus condita & contenta putreſcat: ſine motu tamen, quem tū primùm natura & facultas expultrix excita- Febris quotidiana ſimplex.

 bit,

bit, cùm materia omnis pituitoſa & ſimiliter alia, putrere parata perfectè putruerit: ita vt iam criſi, id eſt ſubita naturæ mutatione, & motu, vacuanda ſit in abſceſſum pituita frequẽtius vti & melancholia, vt bilis flaua ſudoribus, vomitibus, deiectionibus, vrinis, mẽſtruis interdum purgationibus, & per hæmorrhoidas, ſæpius ex naribus hæmorrhagia. Incipit à frigore partium extremarum, pedum, pudendi, manuum, naſi, auricularum, labiorum, & cutis partiumque illi vicinarum: ſeu quòd ſanguis & ſpiritus, cum calore intrò ſe, vt initio aliarum febrium, recipiant (quapropter initio acceßionis ſomnum vetamus, ne geminatis motibus illa tria intrò nimis conculcentur & ſuffocentur, aut tardius ad coquendum hanc materiam reuocentur: & vigilias imperamus, ob cauſas contrarias) ſeu quod humor adhuc frigidus, nondum putredine accenſus, ſuo contactu partes has ad quas mouetur, refrigerat. Aut ab horrore potius, vbi ſcilicet moueri aptior eſt pituita, aut mordacior. Nam horror quartanæ magis eſt proprius, vt rigor verus tertianæ: vt in ſymptomatis diximus. Si bilis flaua quia calida ſicca, tenuis, leuis, & ob hæc igni proxima,

ma, facilè incenditur, pituita frigida humida, ſæpe craſſa & lenta ægrè incenditur, & tardè mouetur, quia frigidum ad motiones ineptum eſt: adhæc denſando poros ſibi viam præcludit, motus per poros ſic adſtrictos difficultatem auget humoris craßities, & ſæpe lentor. Vires omnes premit, frangit & grauat dictis qualitatibus: ob grauatas autem vires vitales, pulſus etiam fit inæqualis, non ob ſolam putredinem. Pulſus initio febrium omnium etiam tertianarum, debilis, paruus, tardus, rarus neceſſariò eſt: quæ ſymptomata in quotidiana ob dictas cauſas etiam per initium incrementi perſeuerant, in tertiana mox abolentur, ſucceduntque augmento contrarij, validus, magnus, velox, frequens. Euacuationes quotidianæ acceßionis, breues & paucæ. Nam eius inclinationes, vt tertianæ, & quartanæ, non finiuntur ſudoribus, quare nec ad integram quietem, exceptis paucis, perueniunt: attamē & hæc vbi exquiſita fuerit, multis habere puram intermißionē videtur, tamen re uera nec integrè per acceßionum inclinationes purgatur, nec exiguum relinquit materiæ ſuccenſæ, vnde intermißio deterior, & acceßionis ſecundæ principium accele-

Libr. 2. Criſ. ca. 3.

Libr. 1. ad Glauc.

rat magis (vt antè probauimus) vbi exquiſita fuerit, non miſta cum pituita vitrea, aut acida. Nam cum bile alterutra miſta pituita, acceßio num breuitatem, & intermißionis integritatem maiorem ex illis mutuari debet.

IN CAP. V.

FRIGIDA ſicca melancholia, quòd vna qualitate ſicca cum calore febrili conuenit, promptius incenditur quàm pituita, tardius quàm bilis flaua. Hæc autem quartana ad integritatem ſudoribus ſoluta peruenire ſolet, aere calido maximè, ſi in declinatione hauſtum aliquem hydroticum largiorem & calidiorem biberint, vt vini albi aqua cocta & calente diluti, aut oxymelitis Galeni, aut aquæ decoctionis ligni Gaiaci vncias quatuor, quinque, ſex. Nã humoris eius reliquiæ terreæ tam ſunt craſſæ, & vires adeò proſtratæ acceßione, vt ſudorem rarò tentent, niſi (vt dixi) humectata, & ſic liquidiore reddita materia, potu dicto et eodem recreata et roborata natura. Quem potum qui omittunt, vbi cœnati ſunt, nocte inſequente ſudant. Vidi & qui nunquam ſudarunt, ſed tan-

In declinatione quart. ſudor mouẽdus.

dem

dem largum humorem atrum fuligini aqua ſolutæ ſimilimum, iniecto clyſmate ex mercurialis herbæ decocto deiecerunt. Poſt quam vacuationem febris aut ceſſabat omnino, aut multùm miteſcebat. Ob id Galenus purgãdos ſæpe quartanarios imperat, ſed blandè: quia hic humor valentibus exacerbatur, & ægerrimè omnium obedit trahentibus medicamentis, vt in natura hominis docet Hippocrates. Non ſemper igitur tam breuem habet acceſsionem quàm tertiana, neque tam puram intermiſsionem: immo in his regionibus frigidis raro admodum tertianã his duobus repræſentat. Cauſæ longioris & breuioris acceſsionis quartanæ, eædem quæ tertianæ, & aliarum febrium omnium, atque adeò morborum materialium, dicto capite tertio huius. Vti nec bilis aucta in toto corpore per icterum: vel in parte per eryſipelas, herpetem, antè febrẽ facit quàm putreſcat in corpore: aut quàm phlegmone hepatis aut obſtructio febrem afferat: ſic nec ſuccus melancholicus in toto corpore auctus, per icterum nigrum fœdoſque corporis colores, nec in parte per cancros & phagedænas febrem antè facit quàm putreſcat, &, ſi intermittens gignenda eſt, moueatur, aut lienis

1. ad Glauconem.

Humor melancholicus non ſemper febrem excitat in corpore.

phlegmone

phlegmone vel obſtructio febrem excitet: nec etiam pituita in toto corpore ſenum, puerorum, leucophlegmaticorum aucta, aut in parte per ſcirrhos albos, & œdemata, antè febrem facit, quàm putreſcat. Cur rigor ſeu potius horror ſine febre veteribus fuit ignotus, dictum abundè eſt in ſymptomatibus.

IN CAP. VI.

PITVITA aut inſipida eſt & aquoſa, (quam hydragoga medicamenta purgant Dioſcoridi & Galeno) aut acida, aut hac frigidior vitrea, aut eadem minus frigida dulcis. Dulcis enim ſapor à calore fit moderato. vt lib. IIII. ſimp. cap. X. & cùm in eo ſapore, vt cæteris, magna ſit latitudo maioris & minoris ratione diſcreta, minimùm dulcis eſt hæc pituita: magis quàm pituita lac dulce eſt, & magis quàm lac ſanguis temperatus eſt dulcis, & mel dulciſſimum: ob id pituita coctione longiore eget, lac breuiore vt ſummam dulcedinem aſſequatur: ſummè autem dulcia coctione à ſuo aut alieno calore ſalſa & amara euadunt. Pituita ob id ſalſa eſt vel ob putrefactionem, vel ob mi- *Pituita ſalſa vnde.*

ſtionem

ſtionem ſalſæ ſubſtantiæ, qualis in nobis eſt ſeroſa in vrinas aut ſudorem excerni ſolita. Ab his omnibus pituitæ differentijs putrentibus febris pituitoſa putrida excitari poteſt, vario tamen modo. Nam vitrea & acida pituita ſi moderatè, aut potius dimidio ſui putret, febrim excitat epialam: in qua quæuis pars corporis eodem tempore, tota febris conſtitutione, febrim & rigorem ſentit: febrim quidem à portione vitreæ pituitæ incenſa, frigus verò à non incenſa, & adhuc frigida: vt ſi pituita vitrea & bilis flaua ſimul abundet, & per partes ſentientes moueatur, dictæ ab ἐπὶ καὶ τῆς ἁλὸς, *à mari, quod initio quidem tranquillum apparet, vbi verò turbatur difficillimum euadit: vel* ἠπίως ἀλεαίνειν, *molliter calefacere. Si verò magis & tota putreſcat pituita hæc, rigor præcedit ſeu horror, nec poſteà apparet tota acceſſione: febris autem quotidiana alijs ſimilis ſequitur, frigiditate illius pituitæ à calore multo tandem victa: quomodo & Salamandra inſigni ſua frigiditate igni diu reſiſtit, ab eo tamen aliquando victa vritur. In febri à ſalſa pituita putrente nõ rigent prehendẽte acceſſione, ſed horrent: quòd ſalſa bili flauæ ſua natura eſt proxima, & bilis*

Lib. de inæquali intemperie.

Paulus li. 2 cap. 3.

Lib. 3. tẽpe.

modo

modo mordet pungitque partes ſentientes, ſed minus moleſtat partes ſentientes alteratione ſubita (quia ſalſus ſapor minus calet quàm amarus & acer in bile flaua) & ſolutione cõtinui. A dulci pituita putrente, rigor febrim non præcedit, quòd ea neque pungit partes ſenſu tactus præditas, neque harum continuitatem diſſoluere conatur: aut erodendo, vt ſalſa & bilis flaua: aut diuellendo, vt acida aut vitrea, à qua dolorem colicum tam vehementem ſe ſenſiſſe ſcribit Galenus, vt inteſtina tanquam terebello vel palo perforari putaret: adeo tamen frigida fuit, vt ex loco calido inteſtinis, clyſmate calido ex oleo rutaceo, & motu illo nihil incaluerit, ſed frigida adhuc ſentiretur: quod multi ſæpe in tineſmis & dyſenterijs ſeptentrionalibus experiuntur. Hæc autem vitrea Praxagoræ medico dicitur quòd vitro fuſo colore & conſiſtentia ſit perſimilis: ſed cum vitrum fuſum ſit cauſticum, & paucis id videre contingat albuminea fortaſſe rectius appellaretur, quòd albumini colore, conſiſtentia, & facultate refrigerante ſit ſimilis: & vt albumen vetuſtate lenteſcit, ſic hæc pituita. Sed fortaſſe vitream appellarunt eadem ratione, qua humorem in ocu-

Dolor colicus Gal. pituita.

Libr. loc. affec.

Vitream pituitam albumineam dici poſſe.

lo

lo poſtremum ὑαλοειδῆ, id eſt vitreum, quem etiam albumineum rectiſſimè appellaris potius quàm tenuem & aquoſum, cui in ouo etiam tenuis humor coctione reſudans reſpondet, vt cryſtallino vitellus: ſed de his in lib. anatomicis. Porrò is humor vitreus ſeu crudus pituitæ generatim dictæ nomine venit, à pituita tamen ſpeciatim dicta differt: quòd hæc cruda quidem et frigida eſt, nō tamen craſſa, quia humiditatem multam habet & ſpiritum flatulētum. Crudus autem humor ſeu vitreus propriè dictus frigidus eſt ac craſſus hypoſtaſi, ac puri ſimilis craſſitie & colore duntaxat: nam pus graueolens eſt ac lentum; crudus humor neque graueolens eſt neque lentus: niſi mora in corpore longa lentorem acquirat Gal. lib. X. comp. ph. part. Aliquando etiam ex putredine graueolētiam acquirit, ſed à puris graueolentia diuerſam, vt norunt qui vulnera & vlcera quotidie tractant, & qui vrinas calculoſorum hoc ſucco crudo plenas odorant. Quæ res quotidie multis imponit pus eſſe putātibus ab vlcere aliquo aut renum, aut vreterum, aut veſicæ: ſed pus multò eſt albius & corpulentius, ita vt colum ægrè prætereat: crudus humor ſi putruit totus percolatur

Crudus humor ſeu vitreus quomodo à pure differat.

Crudus humor aliquādo grauiter olet.

Signa puris.

tur

tur facilè, ſi non putruit ſæpe longiſsimè ſeruata continuitate trahi poteſt. Adhæc ſi pus eſt, ſæpe poſt motum aliquem violentū ſanguis meijtur ex vlcere eliſus, non autem ſi humor crudus tantùm eſt. Præterea ſi humor eſt crudus à ventriculo, aut cerebro, aut partibus alijs trāſmiſſus velut acceſsiones quaſdam & affluxus copioſos habet, ac per medicamenta idonea largiter purgatus dies quinque aut ſex, poſtea in vrinis aut nullus aut paucißimus comparet, & qui pituitam omnino referat: cùm pus continenter æquale aut propemodum æquale ex vlcere dictarum partium excernatur, etiā ſi pridie vlcus ipſum terebinthina, & ſimilibus deterſeris. Nam ſinus qui pus interdum nullum, interdum largiſsimum remittunt, vix in renibus, vreteribus, veſica, partibus aut exiguis aut tenuibus fieri poſſunt. Hoc igitur loco legere poßis: ſuccus crudus ſpecies eſt pituitæ vt qui admodum frigidus ſit, & γλισχρὸς, id eſt lentus, non tamen admodùm: vt ex Galeno de comp. ph. part. probauimus: vel ὑγρὸς, id eſt humidus: non tamē addita, admodùm, particula. Nam fluxilis eſt & humidus, vnde & humor vocatur. Pituita autem ſuccus eſt in nobis

omnis

omnis frigidus & humidus, Φλέγμα Græcis dicta, fortè ἀπὸ τοῦ φλέγειν, id eſt ab vrendo, per antiphraſin. Quanquam et Græcis quibuſdam Φλέγμα etiā flamma ipſa dicatur. Hanc Prodici etymologiam damnauit etiam Galenus lib. II. facult. naturalium. Vt autem ab omni pituita fit febris, ſic ab omni vtriuſque bilis ſpecie.

IN CAP. VII.

CVM tertiana & quotidiana ſit duplex, intermittens & continua illi finitima, modis quatuor coniugantur: intermittentes ambæ, cōtinuæ ambæ, tertiana intermittens & quotidiana continua; tertiana continua & quotidiana intermittens: & harum coniugatarum acceſſiones vel eadem hora prehendunt, vel diuerſis, quando facilè dignoſcūtur implexæ febres, præſertim ſi longo à ſe interuallo prehendant, niſi coniugatæ ad integritatem non deſinant: tunc enim continuæ alicuius imaginem præferentes, etiam ſi ſint duæ intermittentes acceſſionū longarum imperitis imponunt, non autem doctis, ſpeciem acceſſionis cuiuſque febris potius, quàm *Tertianæ et quotidianæ implexus.*

circuitunm

Acceßiones implexarũ febrium diſtinguũtur.

circuituum proprietatem conſiderantibus. Quo modo facilè diſtinguunt etiam coniugatas ſimul inuadentes: vt, ſi tertiana intermittens vna cum quotidiana continua principio ſimul inuadant, cum horrore prehendet miſto ambarum motu, non cum frigore, vt quotidiana, nec cum rigore vt tertiana: & hæc tertio quoque die exacerbationes habebit horrificas, quandiu durabit tertiana, ſi neutra vel cunctetur vel præueniat. Eſtque hæc maximè propria hemitritæa, quæ Hippocrati continua eſt, & horrifica minus propriè, quæ vnicam aut paucas habet horrificas acceßiones, quando ſcilicet ſimul non prehendunt, vt ſi hora prima pomeridiana prehendat quotidiana, & tardet ſemper horis quatuor, & hora prima poſt mediam noctem prehendat tertiana, & anteuertat ſemper horis quatuor, tertio die concurrent, & horrificam acceßionem excitabũt hora octaua pomeridiana, & ſeptimo die in meridie, vndecimo hora quarta antemeridiana: ſic tertia quæque tertianæ acceßio cum quotidiana coincidens horrificam facit acceßionem. Antea quoque probauimus febres magis ex propria cuiuſque acceßionis ſpecie in ſymptomatibus ſpectãda quàm ex

Hemitritæa.

Concurrentes acceßiones.

circuituum

circuituum proportione diſtinguendas: quòd per circuitus diſtinguere fallax admodum ſit. Horæ inæquales ſeu artificiales hîc intelliguntur, quæ in quouis die tam breui quàm longo ſtatuuntur duodecim, & in nocte totidem: cùm æquinoctiales etiam artificiales ſint æquales, de quibus abundè Stoflerinus in Aſtrolabo.

Rigor tertianæ proprius pungere & vulnerare partes omnes tactu præditas occurrentes bilis acrimonia ſolet. Quæ omnia ſint tertianæ exquiſitæ indicia ex lib. noſtro de febribus repete. Coniectura hæc ex toto acceſsionis motu de inclinatione, ſignificat tēpora particularia aut æqualia eſſe, aut ſibi proportione aliqua reſpondere, vt in quæſtionibus de febribus docemus. Sine febre fore ægrum, integritate ſcilicet non abſoluta (quæ ſolis diarijs conuenit) ſed ad ſenſum ægri & medici. Nulla enim ex putridis intermittētibus puram omnino intermiſsionem habet: quanquam hac in re tertiana exquiſita ob largam in declinatione vacuationem, melancholicam & hæc pituitoſam longè vincat. Cauſa duplex, bilis flaua & pituita, duplicem febris ſpeciem excitat, illa bilioſam, hæc pituitoſam. Vbi tertiana intermittens quotidianæ continuæ

Rigor tertianæ proprius.

Putridæ intermittentes non omnino intermittūt

l miſcetur

miſcetur, nulla ipſius intermiſsio apparet, ſi antequam inclinet omnino exacerbetur quotidiana continua, vt in præſenti hypotheſi.

Ex anticipatione vel tardatione vnius acceſſionis; reliquarum anticipationem vel tardationem, & vtriuſque tempus æquale conſtituit, ſi omnia naturæ permittimus. Nam ſi quid poſtea à medico, ægro, aſsidentibus, exterioribus peccetur, in ſumendis, admouendis, educendis, faciendis, fieri poteſt vt quæ prius tardabat iam eadem hora repetat, vel etiã anteuertat, ſi graue ſcilicet fuerit erratum, & quæ prius anticipabat, nunc eadem repetat, vel etiam tardet, ob purgationes idoneas & victus rationem exquiſitam. Non ſolùm vtra febrium duarum cõplicatarum prius ſit deſitura ex his notis deprehendemus: ſed etiam de duabus febribus vel cõgeneribus vel generis diuerſi in duobus hominibus naturæ eiuſdem vel diuerſæ. et præterea febrem quamuis ſine vlla collatione citò aut tardius deſituram præſumemus, coniectantes primùm ex morbi ſpecie: vt, quod febres bilioſæ omnes atque adeò cæteri affectus bilioſi ſunt breuiores, melancholici longiores, pituitoſi medium ſeruant modum quod ad cõſtitutionem attinet, non

Acceſsionis mutatæ cauſæ.

Præſagiendi modus.

nõ autem quod ad acceſsiones ſemper. Nam bilis calida, tenuis, leuis, mobilis, ob id facilè incenditur & vacuatur.

Acceſsio quotidianæ frequẽtiſsimè omnium longiſsima eſt, tamen quartanæ conſtitutio & duratio longior eſſe ſolet: quia humor melancholicus ob ſiccitatem facilius incenditur & vritur per acceſsiones, quàm pituita: quia tamen in partibus diſpoſitionem velut cancroſam relinquit ſolutu difficilem, hinc habet conſtitutionem longiorem. Non eſt igitur omnino certum ex acceſsionis longitudine vel breuitate cõſtitutionis longitudinem aut breuitatem colligere, niſi in febribus congeneribus: vt quæ климатбилиоſa ſiue per ſe, ſiue alteri bilioſæ collata, breuiſsimam habet acceſsionem, breui terminanda præſumitur: quæ longiſsimam tardius, & ita in pituitoſis, & in melancholicis. Tamen hæc nota cum alijs iuncta turba valet, alicuiusque momenti fuerit, vt de alijs quoque notis parum fidelibus idem ſentias. — *Acceſsio quotidianæ.*

Magnitudo febris in caloris exceſſu eſt, ac facultatum corpus noſtrum regẽtium læſione magna. Febris autem bilioſa omnium calidiſsima, & actiones naturales maximè proſternens, vi- — *Febris magnitudo vnde.*

tales & animales etiam deprauans, per caloris exceſſum, ſitim, inquietudinem, inſomniam, deliria. Ergo bilioſa cùm maxima ſit, & celerrima, & acutiſsima, & vehementiſsima, non poteſt eſſe diuturna, ſed citius ad ſalutem in robuſtis, aut mortem in debilibus naturis terminatur. quartana quamuis longiſsima tamen ex ſe neminem iugulat, vti neque quotidiana.

Mos febris. *ἦθος mos, in morbi clementia & malignitate eſt: Clementiſsima omnium diaria & eadem breuiſsima: ſæuiſsima & maligniſsima peſtilens, & eadem breuiſsima: bilioſæ cæteris maligniores, tamen breuiores. Hinc patet ex more ſolo certum ſatis iudicium longitudinis febris ſumi non poſſe, ſed cum alijs valere.* *Ex more ſolo iudicium non certũ.*

Motus materiæ in bilioſis quare celerrimus. *Motus materiæ bilioſæ eſt celerrimus, non ſolùm in ipſo rigore per partes ſentientes, ſed etiam per totam acceſsionem, & cùm motus etiam alterationis ſit genus: incenditur & coquitur & ſecernitur celerrimè ob caliditatem, ſiccitatem, tenuitatem, leuitatem: contra pituita: medium obtinet locum melancholicus ſuccus, quod ad accenſionem attinet: facilius autem pituita ob humiditatem expellitur, ægerrimè ob frigiditatem & ſiccitatem melancholicus ſuccus. Cùm febres*

Li.1. facult. nat.
Hippoc. lib. de natura hominis.

febres quædam perpetuò anticipent, aliæ quædam perpetuò tardent, anticipatio & tardatio ſignum non eſt certum, tamen ferè fit vt anticipatio incrementi & longitudinis, tardatio inclinationis & breuis febris ſit ſignum: pauca quidem minus, multa efficacius, ſi præſertim cætera conſentiant: vt, cùm anticipatione acceſsio ſit longior quàm prius, vel ſaltem æquè longa, & ſymptomata febris omnia increſcant, & intendantur: cum tardatione, breuior & mitior: adhæc ſit intermiſsio cum anticipatione, breuior & impurior, cum tardatione longior & integrior, & ſymptomatis febrilibus liberior. Anticipatio & tardatio ſignum non certum.

IN CAP. VIII. IX. X. XI.

QVÆ cap. octauo, nono, decimo, vndecimo, de ſemitertiana dicuntur, omnia ſunt facilia præter pauca: vt cap. X. ἀναδιπλώσεις, id eſt reduplicationes & exacerbationes, ex mutua duorum humorum bilis & pituitæ pugna, dum vnus modò vincit vt bilis, tuncque calor & motus celer emicant: modò pituita, tunc frigus & motus tardior præpollent, & De Anadiploſi & ſemitertiana Romanis familiari. Lib. I. Epid. Gal.

 cætera

Acceſsionis ſemitertianæ hiſtoria.

cætera vtriuſque humoris ſymptomata: vnde hora quinta & octaua initium rurſus feciſſe et horruiſſe dicitur adoleſcens in acceſsione illa ſemitertianæ, quæ tertio die hora ſecunda incœpit cap. octauo: & ſymptomata ſimilia his quæ ſecunda die ab acceſsione quotidianæ continuæ, vel ſecunda hora acceſsionis horrificæ. ἡμέρας enim quidam, alij ὥρας legunt, & vtrunque cum ratione. Semitertiana hæc adoleſcentis tertio primùm die acceſsionem habuit horrificam & nullam aliam, quia licet tertiana tardaret horis duabus acceſsione ſecunda, tertia, quarta: quinta autem tribus, ſexta quatuor: & quotidianæ continuæ exacerbatio anticiparet ſemper horis duabus vſque diem duodecimum, in quo vnica hora anticipauit & hora ſeptima prehendit pro ſexta, & die decimotertio eadem hora ſeptima prehendit, deinde ſoluta eſt die decimoſeptimo, vt Aphoriſ. vigeſimoquarto libri ſecundi. Si verò horis pluribus, vt tribus quatuor, & tertiana tardet & quotidiana anticipet, multæ fient acceſsiones horrificæ, ſi ſimul incipiant tertiana & quotidiana, & neutra anticipet aut tardet, habebit omnes acceſsiones, ſed diebus imparibus, quibus concurrunt in eandem

dem horam, horrificas, non etiam acceſsiones dierum parium, quibus ſola inuadit quotidiana: niſi duas ſtatuas tertianas intermittentes, vnam diebus quotidianæ paribus, alteram imparibus coincidentem.

Præſenſio in his febribus, quòd tertiana erit breuior & ſalubris aut lethalis, quòd acceſsio hac vel illa hora prehendet, quòd hac vel illa hora finietur, & cum ſudore bilioſo, vomitu et deiectione bilis, quòd cibum dare hac vel illa hora oporteat, diu ſcilicet ante acceſsionis horas ſuſpectas. Curatio, vt tenuata, inciſa, deterſa, vacuata materia morbum committente, apertis meatibus per quos natura impetum excretionis vertit, aucta inſenſili tranſpiratione & ſenſili vacuatione, febres omnes breuiantur & perſanantur. Nota tertiana. Curatio.

Capite vndecimo σωριτικὴν ἀπορίαν *legunt multi. quid autem* σωρίτης, *argumentatio de primo ad vltimum, libro primo locorum affectorum apparet, & alibi.* σωκρατικὴν *verò legerunt Leonicenus & Laurentianus horum librorum interpretes primi, fortè quia Socrates interrogabat, ſed non reſpondebat: fatebatur enim ſe non ſcire. vt Ariſtoteles libro ſe-* Cap. 11.

cundo Elenchorum cap. VIII. ſcribit. fuit enim Scepticus, & nihil poſſe omnino ſciri affirmabat.

IN CAP. XII.

SANGVIS ſincerus, quia calidi innati (quod primum & principaliſsimum animæ eſt inſtrumentum) ſubiectum eſt ac pabulum, ab eo præter cætera regitur, continetur: & ne in ſua elementa diſſoluatur, hoc eſt corrumpatur & putreſcat, pertinaciſsimè cohibetur: ob id à calido externo ægerrimè vincitur, & tardiſsimè putret, quia naturæ familiarior, vt etiam à medicamento violentius purgante tardiſsimè trahitur. Quia tamen omnia præter ignem putrere poſſunt, vt rectè Ariſtoteles libro quarto Meteo. cap. primo ſcribit, & ſanguis ipſe, vt ſpiritus & aer nos ambiens, putrere poteſt à calido externo, id eſt ſibi continendo & diſpenſando alieno. Eſt enim putrefactio in humido calidi natiui conſumptio à calido externo, vt aeris ambientis, aquæ. Ne tamen putes calorem externum eſſe tantummodo eum qui foris cutim tangit, interpretatur Galenus Ariſtotelem,

Aphrod. prob. 83. lib. 1.

Putrefactio quid.

Calor externus quis.

ſtotelem, ſic vt nomine externi caloris eum omnem comprehendat, qui rei conſeruandæ non eſt propitius, idoneus, familiaris, proprius. Is enim proprius coquit, nutrit, omnium naturæ operum eſt author: alienus verò vitiator, corruptor & putredinis effector, ſiue is ſit in aere ambiente calidiore aut putrefacto, ſiue in nobis aliqua febre laborantibus, aut etiam phlegmone præſertim interna & viſcerum. Tam in phlegmonis autem quàm in venis putret ſanguis, vt alia omnia: quia non difflatur & ventilatur, expulſis foras excrementis fuliginoſis, & intro attracta aeris caliditate frigida. Qui duo difflandi modi prius dicti animalibus maximè conueniunt, & ijs præſertim, quibus cor & arteriæ pulſant, alijs etiã ſuo modo & proportione quadam. Inanimata autem extra ſuũ naturalem locum in quo conſeruari ſunt nata, difflantur cùm ventilantur & aere moto tanguntur, non autem incluſo: is enim putret, & concluſis putrendi occaſionem affert: vt veſtes incluſæ oſtendunt, quæ & grauiter olent & vermes gignunt, à quibus eroduntur. Contra quos & amara vt abſinthium, & acria vt piper album & nigrum, & emplaſtica, vt can-

Caloris proprij actio.

Sanguinis putridi cauſa.

Aer concluſus putrendi occaſio eſt.

delæ

delæ ſepaceæ veſtibus interponuntur. Hæc enim ſunt inſectis nocentiſsima. Sanguis igitur putret ſi eſt quantitate largior, quàm vt à ſuo calore natiuo cohiberi poſsit, præſertim foras tracto ab alio calore potentiore, vt aeris ambientis: quomodo candela in luce meridiana extinguitur & corrumpitur. Putredo item illa accidit, vbi calor ille ſuus ante familiaris & proprius & conſeruans, nunc alterius caloris, vt febrium quarumuis contactu acrior & igneus magis euaſit, vt iam non qualiter prius cùm moderatus erat, coquere poſsit & nutrire, ſed, quia immoderatus eſt, vrere, corrumpere, putrefacere ipſum ſanguinem. Id quod dum fit (non enim tam cito id illi accidit, ſed interdum biduo, triduo, & quatuor etiam diebus tantùm calfactus eſt nondũ etiam putret, vt lib. VIII. & IX. Methodi docet Galenus) quantum in ſanguine erat tenuiſsimum & pinguiſsimum in bilem flauam tranſit, quæ ob ſubſtantiæ tenuitatem alteratu facilis cõtinuat putredinem, & nouam ſpeciem febris excitat ſynochum putrem bilioſam, cùm prius eſſet ſynochus non putris, eademque in diariarum genere: ſed cùm in ſanis ex inedia, labore, ira, vel cauſa alia, ſeip-

Sanguis largior putret.

Synochorũ generatio.

ſis

ſis calidioribus ſanguinis portio in bilem abeat, vt vrinæ coloratiores indicant, multò magis tota duratione ſynochi non putris flaua bilis eſt genita ex ſanguinis portione tenuiore & pinguiore: dum verò eius tam multum eſt genitum, quantum bilioſam febrem facere poteſt putrendo, tunc pro ſynocho nō putri ſynochus putris bilioſa appellatur, ſpecies altera συνεχέος, *vt ante eſt dictum: quamuis etiam tum ſanguis multus nondum putruerit, & nondum putrendo in bilem flauam tranſierit, ſed procedente tempore tranſiturus ſit à calore in ipſo ex ſynocho non putri perſeuerante & ex ſynocho putri accreſcente. Humor autem melancholicus terreus, accendi ineptus, ſynochum non putrem non excipit; nec melancholicam putridam efficit: quia bilis putredo ob dictas ante cauſas, bilioſam febrem gignere anteuertit. Qua etiam ratione cùm febris intermittentis tertianæ & quartanæ ſint æquè longæ acceßiones, & vacuatis omnibus putrefactæ per acceßionem materiæ reliquijs, intermißionem æquè puram & febrilibus ſymptomatis vacuam ambæ habeāt, tamen tertiana anticipat, & tertio die repetit, quartana quarto, quòd illius materia gigni &*

Synochus putris quando.

accendi eſt ob igneæ naturæ cognationem habilior: huius terrea craßities tardius ſit genita, ſecreta, incenſa. Quibus inſtructus facilè inſulſam Auicennæ calumniam dilues, quam impius ille & præceptori ingratus ore ſacrilego in Galenum effutiuit lib. IIII. fen. I. tract. II. ca. XLV. vbi ſcribit: Error eſt maximus in hoc Galeni ſermone: quando ſanguis putret in bilem tranſit. Nam tranſit in bilem aut quando putreſcit aut quando putrefactus eſt, vtrunque eſt falſum: nam tenue abit in bilem, craſſum in humorem melancholicum: non ergo totus abit in bilem. Hæc autem ſanguinis tranſmutatio eſt poſt putredinem: agitur autem de febris ſpecie quæ fit in ipſa putredine ſanguinis. Adhæc cùm ex ſanguine eſt facta bilis, non eſt neceſſe bilem ipſam putrendo febrem putridam creari: multis enim putrefactis quando tenue & craſſum ſecreta ſunt, ipſa neceſſariò non putrent. Multa enim ex putredine nata non mox putrent. Quòd ſi neceſſariò putreſcant, & humor melancholicus ſimiliter putreſcet, ſicque erunt febres duæ bilioſa & melancholica. Hanc Auicennæ de Galeno ſententiam non modò temerariam, ſed etiam falſam damnant ipſius etiam

Auicennæ in Gal. calumnia depellitur.

Auicennæ

Auicennæ interpretes Iacobus à Partibus, & Arculanus: & calumniam Galeno impingere manifeſtè deprehenditur, cùm Galenus neque hoc loco neque cap. XII. lib. II. Criſeôn ſcribat ſanguinem totum tranſire in bilem, ſed in hanc portione tantùm tenui, in humorem melancholicum craſſa: id quod is ipſe Auicennas poſtea ſubiungit. Adhæc bilem flauam ex ſanguine putrente genitam putrere neceſſe eſt, quia calida & humida conſiſtentia, & in loco calido humido, & ipſo putredinis foco manet, neque ſatis diffiatur. quòd ſi vbi eſt genita foras excernatur, vel in locum frigidum, vel ſiccum, vel bene diffletur, putrere non eſt neceſſe, vti nec ardere adipem à carnibus adolendis eliquatum, ſi in cadulam excipiatur, aut aliter ab igne longius abſcedat: nec oleoſum & reſinoſum humorem lignorum pinguium, vt abietis, pini, piceæ, gaiaci, iuniperi, lauri, ſi in ipſum finem titionis abeat: nec fuliginem, ſi in ipſum infumibulum altius euolet. ſi verò in ignem incidat & adeps, & humor pinguis, & fuligo, non aliter quàm carnes & ligna ipſa vrentur. Sic coagulum quandiu in lactentium animaliũ reticulo moratur putret, donec erit velut cinefactum:

Bilis flaua quare putreat.

factum: & fermentum, & caſeus, & alia omnia putredinis initium ſortita putrere non ceſſant, donec abſoluta erit putredo: vt in lignis & fructibus & fimetis cernas. Quòd ſi quis ea ex ipſo putredinis loco eximat & ventilet, aut ſiccet ac refrigeret, putredinem vtique finiat. Hinc & coagulum, & fermentum, & caſeus, & acetum, & alia ſimiliter ex putredine nata quò ſunt vetuſtiora, eò ſunt acriora.

Sanguis in phlegmones medio primùm & maximè putret, quia ibi maximè conculcatus difflari prohibetur: quod medio propinquum eſt deinde putret, tandem reliquum. niſi quantum à calore natiuo & præter naturam & admotorum in vaporem ſolutum continenter exhalat, præſertim tenue magis. Adhæc biliosa ſynocho putri ſuccedit non melancholica, quia bilis repentinam habet generationem, vt oſtendunt etiam ſanorum, vel horas duas magis ieiunantium & laborantium vrinæ, ſuccus melancholicus tardam: vt animalia quædam citò abſoluuntur, quædam ad generationem ſui tempus poſtulant longius, & in eodem genere mas quàm fœmina citius perficitur: & ex lignis fumus & fuligo citius fit ab eodem igni quàm cinis:

Lib. 2. ſani. tuend.

nis: & ex lapidibus gypſum quàm calx celerius ab eodem igni percoquitur: & alimenta tenuium partium & iucunda, & liquida citius in nobis perficiuntur quàm contraria. Quid? quòd æſtate dum ſanguis vritur, & item ætate florenti tota, bilis confeſtim nata dominatur et ſæuit, melancholicus ſuccus ex eadem vſtione profectus, non ante autumnum & ætatem declinantem & iam exeuntem eſt abſolutus. vt in partibus anni ſex propè menſes, in ætatibus etiam annos quindecim, viginti, plures pauciores, exigat? Cur miraris Auicenna vrẽdo ſanguini bilioſam ſuccedere febrem potius quàm melancholicam? Quanquam verò donemus bilem hanc vtranque ſimul tempore perfici, cùm tamen bilis flaua ob caliditatem, ſiccitatem, tenuitatem, leuitatem igni proxima, & incendio promptiſsimè vſtionem in ſanguine cœptam excipit ac perpetuat, quam humor melancholicus frigidus, terreus, craſſus, grauis ob hæc incendi contumax, etiam ſi in loco putredinis vt bilis maneat, ſed quem ſuo calore mitiori aut frigore quodammodo temperat, non vt ipſa bilis magis incendit. Quomodo ſi excitatam à patre pugnam liberi bini ſpectent: vnus alacer, ani-

mi

mi præceps, ad omnia promptiſsimus: alter ingenio ſtolido, corpore tardo, & velut ſtipes, caudex, aſinus, ad cætera propè gemelli: nónne in pugnam ille mox volabit, hic eam detrectabit & diffugiet, aut ſi ſtare audebit, conciliare, et iras temperare tum oratione tum motibus ſuis tentabit? Si ergo afficiendi corporis præparatio ad effecti productionem magni eſt momenti, et, vt ipſe Auicennas dicebat, duplum cauſarum, nonne bilem citius accendi propter diſpoſitiones in id paratas oportet quàm melancholiam? Sic enim & fuliginem quamuis, ſed multò magis lignorum pinguium, & reſinarum, & mox incendi, & ignem facere ac nutrire & continuare cernis, cùm cineres ipſi quantumuis incendantur nunquam ignem concipiant. Valeat igitur Auicennas cum cætera Arabum familia, & diſcat audire meliora, nec ita impudenter & indoctè viris vndequaque abſolutis obſtrepere audeat. **Fructus quo modo conſeruandi à putredine.** *Fructus phiala concluſi, aqua profluente aut melle, aut muria merſi, aut vino generoſo, & triticum in myrmecijs hypocryptiſque concluſum, & veſtes, & hominum etiam quorundam ſepultorum corpora diu imputria ſine difflatione vlla ſeruantur: ſed vel*

prius

prius ſiccata, vel loco ſicco aut frigido ſeruanda. Ob id ſeptentrionales triticum in hypocryptis ſeruare nequeunt, ſed in horreis, & cum crebra ventilatione cum patellis, rutabulis, cribris, vannis, & alio quouis ſuccuſſatu. Quæ verò ſicca ſunt, fuliginoſum excremētum quod difflandum ſit habent nullum, etiam ſi calida ſint: quæ verò frigida etiam ſi humida, nullum tale excrementum excitare poſſunt.

Septentrionales triticum in horreis recondunt.

IN CAP. XIII.

EFFLVVIVM putrentis materiæ per cutim tranſpirans, in febre ex ſanguine & bile vtraque putrentibus manui toti æquale apparet. Nam bilioſarum initio toti manui acer, diu impoſitæ manui toti blandior, & ita de alijs: ſic pituitoſarum initio toti manui blandior, diutius immoranti manui & iam aucta febre inæqualis ſentitur, vt ante lib. I. & in fine capitis præcedentis, & initio huius abundè docet.

Effluuium putrētis materiæ quale.

De cauſa febrium συνοχῶν*, cur ſcilicet aliquando illarum acceſsio (quæ ab initio ad finem vt* συνεχῶν *vnica eſt) ad dies etiam ſeptem duret, de ſynocho non putri intelligendum id vide-*

tur: ſextum autem diem omittit, quòd hic non ſit criticus aut male decernat & recidiuam minetur, vt Galenus libro ſuo de prænotione. His autem criticis diebus virium robur criſi, & inſigni vacuatione per hæmorrhagiam è naribus, vel ſudoribus largiſsimis quoſdam ſeruat: venæ autem ſectio ad lipothymiam omnes, ceteræ ad mortem ferè terminantur, vt libro nono Methodi docet Galenus. Magis tamen mirum eſt quaſdam febres per circuitionem repetere, vt intermittentes & his finitimas συνεχεῖς*, id eſt continentes: quarum quotidianæ quotidie, bilioſæ tertio quoque die, quartanæ quarto quoq; die repetunt, & nouam faciunt vel acceſsionem vel exacerbationem, et, vt vulgus vocat, reduplicationem. Exemplum ſtercoris putrentis poſitum lib. I. cap. VII. cuius ſcilicet vna pars primùm putret, deinde alia, humoribus etiam per febres continentes putrentibus non admodum conuenit. Nam in his humor putrens cum alio nõ putrente facilè miſcetur in venis per quas affluit & refluit, & ob id continenter miſcentur putrentes & non putrentes, cùm in ſtercore immota pars quæ putret & quæ non putret maneat, nec ob id miſceri ambæ ſimul poſsint. Corpus*

Quædam febres per circuitiones repetunt.

pus enim noſtrum totum eſt conſpirabile ac conſluxile, & ex omnibus partibus in omnes conſluxus materiæ, & communio ſpirituum fit per poros, quibus totum corpus eſt præditum: magis tamen per ſpatia inter partes ſimilares inania: omniũ maximè per meatus ſenſui manifeſtos, venas, arterias præſertim maiores, ſed etiam per minores & ſtomachos omnes, vt nerui optici, folliculi fellis in hepar & ecphyſin, lienis in hepar & ventriculum, renum cauam & vreteras, veſicæ in vreteras & meatum vrinarium, ventriculi in œſophagum & ecphyſin. Per quos meatus manifeſtos materias partes ipſæ mutuò facilè multas tranſmittunt, minus multas per obſcuros, vt dum in gingiuas, genas, dentes à cerebro ruit fluxio. Sic etiam conſluxus & conſpiratio cerebri per nares, foramina palati, fauces, aſperam arteriã, œſophagum, venas, arterias, neruos propè continenter efficitur: vt dum animalis ſpiritus expergefactis repente in corpus diffluit, ſtupore ſolutis & à metu aut mœrore recreatis, paulatim. Ergo cùm ita humores ſint conſluxiles et conſpirabiles, per febres συνεχεῖς non poſſunt, vnica in parte vaſis velut concluſi, putrere,

Conſluxus & communio materiæ & ſpirituũ in corpore vnde.

Per quos meatus cerebri conſluxus fiat.

 ſed

ſed putrentes non putrentibus confluxu illo miſcentur: tamen in phlegmonis viſcerũ vel aliarum partium colligatus & circumſcriptus, ac parte illa concluſus humor putret, febremq́ue putridam, vt diximus, excitat, non propter cõfluxum materiæ, ſed propter conſpirationem. Nam à parte inflammata putridus ſanguis non effluit in vaſa regurgitans, vt non putrenti ſanguini miſtus eum quoque putrefaciat, ſed tantùm vapor putridus ex putrente ſanguine excitatus, extra partem inflammatam expirat, qui cordi communicatus ipſius ſpiritui & ſanguini putredinis initium afferat ſæpe: vnde & phlegmonis ſolutis putrida febris perſeuerat, ſæpe tantùm calfactionis, tuncq́ue ſedata inflammatione putrida febris ceſſat.

Cùm igitur ratio in contrarium cedat, id eſt περιέστηκε. *quoniam ſe ad contrariam partem ratio trãſtulit, Leonicenus vertit: id eſt, quum modo habeat contrario quæ in phlegmone fit putredo, & quæ in vaſis per febres putridas: et, cùm humores in vaſis putreſcentes, vna in parte vaſis non putreãt velut colligati & circumſcripti vt in phlegmone, ſed huc illuc transfluãt, & putrentes non putrentibus miſceantur:*

cumq́ue

cumq́ue ſit difficilius inuenire cauſam acceſſionum & exacerbationum in febribus intermittentibus & continentibus, id eſt συνεχῶν repetentium certo tempore, quàm συνοχῶν, cur ſcilicet in his acceſſio vna duret dies quatuor, quinque, ſeptem, ab initio ad finem, quoad ſcilicet ſanguis diffletur, vel à medico vena ſecta ſanguinem mittente ad lipothymiam, vel à natura ſanguinem largum naribus aut alio meatu per criſin vacuante: dicemus cauſam vtriuſque, et cur ſynochus tot dies vnam acceſſionem producat, & cur intermittentes & his finitimæ continentes repetant certis temporibus: dicemus autem quàm breuiſſimè res ea dici poſſit, veritatem eius tantùm oſtendentes, omiſſis ea de re falſis opinionibus. Nam vt rectum iudex ſui eſt & obliqui, ſic verum ſui & falſi: & rectum & verum & in omni genere rerum perfectum ſimplex eſt ac vnicum, ob id breuibus poteſt declarari. Incipienda autem eſt inquiſitio cauſæ vtriuſque ab his quæ ſenſui & nobis ſunt manifeſtiora: qualia ſunt in corporis ſuperficie vitia, quibus interna quædam ſimilia reſpondent, vt phlegmone in oculi alba tunica omnibus & tangi & videri poteſt, eoq́ue magis

Cur ſynochus acceſſionem protrahat, & intermittentes repetãt, vti & continentes.

in oculo quàm faciei parte alia, quod ferè in ocu los hominum primos inſpicimus, cùm phlegmonæ internæ, vt cæteri affectus partium internarum, coniectura magis artificioſa quàm ſenſu deprehendantur. Sunt autem notiora duplicia: quædam ſenſui alicui ex quinque, vt ſenſibilia propria: quædam pluribus ſimul ſenſibus, vt ſenſibilia cõmunia, ſingularia, magnitudo, multitudo, figura, motus, quies, interuallum duorum corporum. Hæc enim viſu & tactu deprehenduntur, alia intellectui & natura & ſimpliciter ſunt notiora & priora, vt cauſæ, vniuerſalia, intelligibilia. Ophthalmia igitur, tunicæ oculi cohærentis & ipſum pericranio cõiungentis phlegmone, ſi à ſanguine eſt pituitoſo, quotidie circa veſperam fluxione redintegrata exacerbatur, magiſque quàm prius calet, dolet, tumet: ſi à ſanguine bilioſo tertio quoque die: vt ſi à melancholico, quarto exacerbationum repetitiones excitat: cùm ſcilicet collectum in cerebro, aut vicinis partibus excrementum, parti ipſi tranſmiſſuræ eſt alienum, & facultati retentrici moleſtum vel quantitate vel qualitate vel vtraque: tunc enim expultrix facultas id expellit, qua data porta et exi-

Ariſt. lib. de ani. Primo phyſ. lib. 1. poſteriorũ ca. 2.

Ophthalmia quãdo exacerbatur.

tus liberior ac promptior, in partes vicinas vt tunicam oculi albam. Sic cephalalgiæ, hemicraniæ, podagræ, arthritides, & affectus reliqui tum ſub ſenſum aliquem cadentes, tum ſenſui occulti, vt pleuritis, peripneumonia, exacerbationes habent pro humoris natura, quem vel quotidie, ſi pituita eſt, vel tertio aut quarto quoque die, ſi bilis alterutra, tranſmittunt partes illius quantitate, aut qualitate, aut vtraque offenſæ & mutatæ: de quo alieno ſequenti oratione. *Cephalalgia, Podagra, Pleuritis.*

IN CAP. XIIII. ET XV.

QVAE mouentur ab alio, aut truduntur, aut trahuntur: humores & excrementa in corpore mouentur ab alio, ergo truduntur ſeu tranſmittuntur aut trahuntur. Trudit autem excrementa, & humores, & alia omnia aliena quantitate vel qualitate acri, mordaci, calida frigida vel vtraque ſimul, pars robuſtior, nobilior, ſublimior, denſior, in partem imbecilliorem, ignobiliorem, inferiorem, rariorem, per meatus præcipuè capaces & manifeſtos, vt ſtomachos & venas et arterias: vel occultos ſen- *Defluxus humorũ duplex cauſa.*

 ſui

ſui, vt ſpatia inania inter partes ſimilares & poros corporis totius. Trudunt tamen et tranſmittunt etiam infernæ partes ſuperioribus, vt in epilepſia per conſenſum cum parte aliqua, in melancholia à toto, & ab hypochondrijs, in catarrhis ab hepate calidiore excitatis, & à toto corpore calidiore vt per febres, in affectibus capitis & oculorum à ſtomacho, in affectibus ſtomachi & cordis ab vtero, in dolore capitis & mœrore ab aluo aſtricta, in epilepſia dimidij corporis à liene, quam ipſi ſemel vidimus. Sic tamen vtrobique grauia ferè deorſum & leuia ſurſum truduntur, vt amborum naturalem motum natura, & facultas expultrix robuſta iuuet atque acceleret: quanquam non ſemper recta mouet, ſed ſæpe in obliquum: ſicque corpus totum infernum per humores à capite eſt confluxile & ſupernum per vapores et halitus infernè eſt conſpirabile magis. Trahuntur autem eadem, promptius ſcilicet grauia deorſum & leuia ſurſum: tamen aliquando etiam contrario ſuæ naturæ impetu à parte dolente aut calente. Nam tractus, qui à tota fit ſubſtantia ſeu totius ſubſtantiæ familiaritate, quo partes noſtræ alimentum ſibi familiare trahunt, &

Dolor trahit vti et calor.

medicamenta

medicamenta purgantia humorem ſibi familiarem, hoc loco non egemus, vt neque eius, qui fuga vacui etiam à corde, & arterijs, & ſorbentibus nobis fit: neque eius, qui per licium et filtrum & ſimilia fit ſicca & ferè rara corpora. Dolet pars ab alterantibus, ſubitò calfacientibus ſcilicet aut refrigerantibus, aut à ſoluentibus continuum, vulnerantibus, tendentibus, rumpentibus ſeu frangentibus, & erodentibus. Calet immoderatius pars à motu corporis, animi, à putredine, à ſuppreſſo calido effluuio, à calidæ ſubſtantiæ contactu vel miſtione: vt in cauſis morborum calidorum dictum eſt, libro de cauſis morborum, & libr. I. feb. cap. V. Hæ ſunt cauſæ calidæ fluxionis materiarum, hoc eſt tranſmiſsionis vel attractionis ex parte aliqua in aliam: à quibus materijs, vt ophthalmiæ, cephalalgiæ, hemicraniæ, podagræ, arthritides, & alij affectus partium fiunt, & febrium tam intermittentium quàm continentium illis finitimarum repetitiones. Fiunt tamen ijdem affectus citra fluxionem ex congeſto paulatim in parte aliqua ipſius excremento, quod tandem etiam partē malè habet quantitate, vel qualitate, vel vtraque. Diſtinguendum

Dolor vnde.

Calor.

Libr. 13. Meth.

Quomodo deprehendātur fluxionum differētiæ. Gal ca. 15.

dum iam eſt quibus ſignis deprehendamus has fluxionum differentias. Si enim eſt partis inflammatio ſine vulnere, aut contuſione, vel alia cauſa dolorifica ſub qua & alteratio à calore ſubita comprehenditur: hoc eſt, ſi eſt inflammatio ſine attractione, eſt à tranſmiſsione. Omnis enim fluxio attractione fit aut tranſmiſſione. in partem inflammatam eſt fluxio, ergo ab alterutra cauſa. non ab attractione, reliquum eſt igitur vt ſit à parte robuſta tranſmittente. Cauſæ autem attractionis, ſeu dolor & calor, tum tactu tum ægri relatu promptè diſcuntur. At ſi paulatim collectum in parte excrementum tumorem facit aut ſine eo (vt ſi cauitas magna eſt in qua colligitur) vel etiam cum eo affectus alios, hi paulatim fiunt, augeſcente ſcilicet excremento, nec facilè curantur, propter impreſſam parti à mora excrementi diuturnam quandam cachexiam. Eo autem loco Galenus phlegmones ſine vulnere & contuſione meminit, quia ſæpe cum his & ab his fit, vt oſtendunt diariæ ex bubone cum vulnere manifeſto. Id quoque indicat Galenus commentario in eum aphoriſmum, Conuulſio ex vulnere lethalis eſt. Ea enim fit ob phlegmonem

nem

nem vulnus præſertim magnum, & à quo ſanguis haud ita multus fluxit, ſequentem: cuius & phlegmones & ex ea conuulſionis metu, in magnis vulneribus ſanguinem paucum iaculatis, & multò magis in contuſionibus magnis, & lapſu ab alto ſanguinem mittimus.

Materiæ, hoc eſt humorum quatuor aliqui, aut aquæ, aut corpora abſceſſuum alteri generi conſueta, aut flatus, vapores, ſpiritus, in parte aliqua cumulantur congeſtione, fluxione. Congeſtio fit ob facultatis expultricis imbecillitatem, vel excrementi copiam, aut craßitiem, aut lentorem, aut aliam prauitatem. Duobus modis materiæ in parte cumulantur. Congeſtio.

Fluxio fit tranſmißione, deſcenſu, aſcenſu, attractione. Tranſmittit pars robuſta, nobilis, ſublimis, denſa, in imbecillam, ignobilem, infirmam, raram. Robuſtam habet facultatem expultricem; vt etiam alias, quæ temperata pars eſt. Intemperies autem omnis inſignis facultatem debilitat, pro receſſus modo à ſuo temperamento in quo eſt facultatum eſſentia. Quæ pars nobilior, ſublimior, denſior & contra, ex anatomicis, & Arte medica, & Methodo petendum. Tranſmittit pars frequentius & facilius grauia deorſum & leuia ſurſum, tamen Fluxio. Tranſmiſſio, vnde & quo.

etiam

etiam contra, & in latera: vt oſtendunt catarrhi à capite in partes ſubiectas: vapores à partibus ſubiectis in ſuperiores. Qui materiarũ motus ſæpe ſunt ſpontini, et pro naturali grauium deorſum & leuium ſurſum impetu. Hinc pituita in cerebro à calore vel externo, vt ſolis, ignis, frictionis, tegumentorum calorificorum. vel interno, vt febrili, vel vinorum generoſorum & aromatitòn, liquata niuis modo ſponte ſua defluit in partes ſubiectas motu recto, niſi expultricis motus quoque miſtus interdum in latera, vel etiam ſurſum expellat. Pituita eadem à frigore compreſſa in ſubiectum corpus deſtillat. Et in hydropicis aquæ, ſtantibus in tibias defluunt, cubantibus in ventrem refluunt. Quod non accideret, ſi à facultate partium ſuperiorum expultrice robuſta eſſent in tibias protruſæ. Ergo tranſmiſsio latius quàm ad expultricis facultatis robuſtæ actionem extendenda, vt etiam ſpontinum grauium deſcenſum, & leuium aſcenſum contineat. Ob quæ etiam partes læſas & ante fluxionem & in fluxione ſublimes ſtatuemus, vt tibias in lecto deponimus altius, vel ſuppedaneo tollimus: brachium in media figura leuatum circunferimus: oculos

reclinato

reclinato capite ſublimes collocamus, & in cæteris ſimiliter. Transmiſsio autem quæ à facultate expultrice promptiſsima eſt & celerrima grauium deorſum magis (vt dixi) & leuium ſurſum: tamen etiam contra ſæpe euenit, vt graue ſurſum et leue deorſum contra naturam expellatur, à partium vi expultrice, ſed ferè per villos: ſic venæ & arteriæ ſuis villis ſanguinem quantitate, ſed magis qualitate moleſtum, per hæmorrhagiam narium etiam à toto corpore, eoque recto vacuant: ſic ventriculus etiam recto corpore vomitu excernit, vterus, veſica, inteſtina natibus ſublimibus quæ continent etiam longius & altius excernunt. Tamen vnumquodque horum promptius & largius deorſum expellit corpore in meatum excretionis propendente. Flatus quoque & vapores ventriculus, inteſtina, veſica, vterus, deorſum eadem vi fibrarum expultrice pellunt: facilius autem ſurſum, motibus ſcilicet duobus geminatis, & ſpontino & expultricis facultatis in vtrunque momentum paratæ. Fluxionem per deſcenſum iuuat maximè retentricis imbecillitas, vt apparet in diarrhœa, & lienteria, & lectũ permeientibus, & reſoluto ſphinctere

Facultas expultrix ſæpe grauia ſurſum pellit.

Fluxionem iuuat retentricis imbecillitas.

ctere

ctere ſedis aut veſicæ. Cum verò per inteſtinorum tenuium ſpiras, & per colon excrementa nunc deſcendant, nunc etiam aſcendant, per inteſtinorum expultricis imbecillitatem in dictis affectibus excrementa hæc à ſequentibus pelluntur: quomodo aquæ ex fonte alto in tubos in ſimos deſcendentes, poſtea aſcendunt quantum deſcenderunt. vt etiam in ipſis ſcatebris altè bullantibus apparet.

Analogia.

Attractio.

Attractio, fit calore, dolore, ſed etiam ſiccitate, fuga vacui, ſimilitudine totius ſubſtantiæ. ſed his nunc differentijs non egemus. Præterea an attrahant calor & dolor, vel materiæ mittantur, parui hoc loco refert, modò ſcias in partes calefactas & dolentes decumbere materias, & tumores excitare præter naturam.

Calor fluxionem allicit.

Calor autem à quauis cauſa, vna ex quinque prædictis vel pluribus excitatus, fluxionem allicit: vt oſtendit caput calfactum æſtu, tegumimibus, frictione cum linteis calidis, pedes, manus, & partes aliæ. Ob id ſanguinem ex vena malleoli miſſuri pedem aquæ calenti imponunt, vt tracto ſanguine vas ſit perſpicuum magis & tenſum, vt percuſsionem phlebotome tutius & certius excipiat. Eadem de cauſa ma-

num

num fricant etiam cum linteis calidis, & aquæ calidæ immittunt venam in cubito ſecturi, & vinculum prætereà adhibent vt dolore trahat, tum vt venam vno loco contineat & pollex medici ex oppoſito, ne laxior per longum id interuallum in dextrum aut ſiniſtrum deerret, ac ſcalpellũ ſubterfugiat. Calor ignis & ſolis prætereà humorem in vaporem ſolutum abire ex natura ſua ſurſum permittit, non etiam attrahit: niſi quantum eius igni nutriendo eſt vtile. Medicamenta purgantia humorem ſibi cognatum, & partes animalium & plantarum alimentum ſibi familiare, & quædam alexipharmaca hoc illud venenum: ſtipitem & alia aliud trahunt, calore quidem indiſcriminatim quoduis trahunt, totius verò ſubſtantiæ ſimilitudine hoc rem certam & ſibi determinatam trahit. Quid, quòd ignis humorem in oppoſitum titionis extremum virentis aut humectati pellit, & aquam in olla feruente exundare cogit? In illis fuga penetrationis dimenſionum pellitur: quia humoris illius portio tenuata et in vaporem verſa, locum occupat maiorem. cui vt cedat hic humor in extremum titionẽ confluit. In olla ipſius ignis ſubſtantia rara aquæ miſta

Ignis humorem in oppoſitum pellit.

Aqua in olla quare exundet.

ipſum

ipſum rarefacit, et ita attollit vt ollam repleat, donec affuſa frigida aqua, aut minus calente (qualis quæ cochleari ex cacabo bullante ſublata, & in aerem parum diu verſata frigeſcit aliquãtulum) refrigeret ac temperet, quod etiam efflatio noſtra in aquam præſtat.

Sicca & rara trahunt. Hippoc. initio li. 4. rat. victus acut. de cauſi cauſa.

Sicca porrò & rara attrahere cernuntur, vt licium in aquam vno extremo immiſſum, & pannus, & funes, & ligna ſicca, & ripæ fluuiorum & parietes compluuio vicini. Omnia enim hæc altius humectantur, quàm quà humorem tangunt. Ergo humor ſurſum vel truditur vel trahitur. non truditur, ergo trahitur. non à calore &c. ergo à ſiccitate. Neque licet dicere aquam ob eſſentiæ tenuitatẽ ſe ſpargere: id enim deorſum & in latera, ſed non ſupra ſuum horizontem fieri poteſt, ſurſum non poteſt. quanquam oleum eſſentiæ tenuitate maiore, etiam ſurſum in papyrum aut pannum ſe ſpargat. Sed licium, cùm per filtrum (vt vocant) deſtillamus, aut cucurbitas & alia id genus irrigamus, ante aqua eſt humectandum vt citius deſtillet: alioqui tardè, & vix humor aſcendit: ergo ſiccitate non videtur trahere. Id in eo fortaſſe fatendùm, quia pingue & coa-

ctius

ctius ob texturam: ſed poſtquam humectatum eſt, cur præterea trahit, vt etiam aquæ amphoram exhauriat ſingulis diebus, & in plantas irrigandas transferat? Quia pili ob denſitatem humectari nequeunt. Sed quæri poteſt cur materias cerebrum, verbi gratia, in hanc vel illam partem potius expellit: non enim delectu quodam tanquam id melius eſſe ratum (ſic enim animal foret) ſed in quam partem conſueuit ſe magis exonerare, ob illius imbecillitatem vel ſitum magis decliuem, vel raritatem, vel meatus amplitudinē per quam fluxio fit. Pars præterea quæ fluxionem excipit tunc, vel dolet vel calet, vel magis infima eſt. Interdum tamen in partem magis ſublimem, ſed, quia vento aut frigori aperta fuit, ex intemperie recenti imbecillam fluxio fertur, vt genam, laryngem.

IN CAP. XVI.

EXCREMENTI nomine venit, non ſolùm duplex craſſius ſcilicet & tenuius, triplicis coctionis ſuperfluum, ſed etiam alimentum quantitate aut qualitate, & quadam proprietate alienum toti aut parti: vt etiam ſan- Li. 3. Meth. Lib. 1. ſanit. tuenda.

n guinem

guinem & alios humores tam naturales quàm non naturales & præter naturam comprehendat, præcipuè in his febribus. Id igitur vel quãtitate larga aut pauca, vel qualitate praua multùm parum, vel vtraque, partem aliquam vel etiam corpus totum lædit: quãdo ſi valdè multum & valdè prauum eſt, peius quàm ſi parum multùm, & parum prauum ſit. Poteſt item ſolum valdè multum eſſe, & tamen benignum: aut valdè malignum eſſe, & quantitate moderatum, aut paucum. Si igitur largum admodum & prauum in parte, ob facultatum imbecillitatem, aut meatuum obſtructionẽ colligatur, vel in eam trahatur, vel mittatur, eius partis facultates naturales omnes grauat, præcipuè retentricem, coctricem, expultricem: & ſæpe etiam euertit atque diſſoluit, tuncque non modò ea excrementa, ſed etiam ſanguinem parte illa ad nutritionem contentum, vel etiam largius in illam dolentem, calentem attractum, vel imbecillam miſſum, putrere oportet: quia putrentibus excrementis miſcetur (vt prius quoque eſt dictum) & quia non diffiatur, bifariam. ob copiam, & quia non vincitur à partis calore natiuo eius & excrementorum copia ſtrangulato:

Putredinis cauſa.

ſtrangulato: ſanguis, vti & excrementa, niſi à calore natiuo partis ille, hæc à facultatibus naturalibus vincantur, cùm ſint calida humida, in loco calido humido, promptè putrent à calore præter naturam.

Cauſa putredinis altera eſt cõtactus & permiſtio calidæ & putrentis materiæ. Si verò minus vires lædat, quia aut parcius eſt aut minus malignum, quàm præcedens, aut vtrunque, mediocrem etiam ſubit diſpoſitionem ſanguinis: vt putreat quidem contactu putreſcentium excrementorum, non putreat autem quatenus à facultatibus partis naturalibus, retentrice præſertim & coctrice gubernatur: ſiue autem vires partis exoluat copia & malignitate excrementum, & ſanguinem omnino putrefaciat: ſiue nõ exoluat, ſed ſemiputris ſanguis maneat, ob virium naturalium conſtans robur: ſeu ſiue omnino, ſiue mediocriter putreat ſanguis, calor illa putredine ſanguinis acceſſus eſt maior, quàm erat prius in eo ſanguine ſano, multóque acrior ſi magna fiat putredo. propter excrementi copiam largam, & multã malignitatem. Nam quæ putrent calidiora humidiora euadunt, & acriora, acrimoniam tamen actu retinent. vt

Altera cauſa putredinis.

Calor ſanguinis putrẽtis maior quàm ſani.

Quæ putrẽt calidiora euadunt & humidiora.

acetum, coagulum, fermentum oſtendunt: non tamen calorem actu, minus humiditatem retinent. immo frigida & ſicca poſt putredinem euadunt: tantuſque ac tam diuturnus perſeuerat calor, quandiu excrementa putredini ſuppeditabuntur: & quò largiora ſufficiuntur, eò calor per putredinem eorum maior accenditur, niſi tanta ſint, vt calorem ſtrangulent, tuncque æger moritur. Humorum autem in nobis per febres & phlegmonas exuſtio ſimilis eſt lignorum crementioni. Vt enim ligna ardent quandiu nutritur flamma humido ipſorum ſubſtantifico familiari flammæ alimento, quia pingue eſt, & quanto pinguius ac reſinoſius, tanto citius & largius flammam nutrit: vbi autem humidum ſubſtantificum in ligno, vti & in ellychnio (vt prius eſt dictum) conſumptum eſt, irreparabile eſt ac irremediabile, ob id flamma extinguitur: ſic quandiu in humoribus aliquid eſt putrefieri habile, vritur per putredinē: vſta autem materia reliquiæ cineri ſimiles remanēt: quæ vt cinis empyreuma retinent, & caloris putredinoſi aliquid: à quibus nondum vacuatis et acceſsiones anticipant, & recidiui fiunt morbi. Hoc tamen intereſt, quòd ligna quia terrea ſunt magis,

Humorum exuſtio lignorum cremationi ſimilis.

magis, præſertim quæ denſa ſunt, plus cineris relinquunt, humores quia aquoſi et aerei minus cinerum poſt vſtionem relinquunt, vti & liquores externi: omnium minimùm tenues & ignei, vt bilis, plus melancholia, mediocriter pituita. Nec tamen in lignis flamma ſolo eo humido innato & radicali, terreas partes glutinante nutritur, ſed eo maximè: nutritur enim & aere tum ambiente, tum in poris lignorum contento. Ob id flamma quæuis aeris externi commercio priuata ſtatim extinguitur, non à craſſo vapore tantùm ſuffocata, ſed aeris commercio & pabulo priuata. Id deprehendes in fornacibus ærarijs: qua enim parte aerem trahunt ob celerem eius attracti motum, ventum putabis: ſic & Chymiſtæ infundibulum carbone plenum supernè obturant, infernè aeri aperiunt: vt inferna tantum parte ardeat, quantum carbonis accenſi aere nutriri poteſt. Idem teſtantur & cucurbitulæ. Hac de cauſa quæ ligna ſunt rariora, quia poris illis aerem multum continent, illa celerius inflammantur: denſa autem, vt ebenus, buxus, tardius, niſi pingui ſucco denſitatis incommodum redimant, vt in ligno gaiaci apparet. Nam ex aere & aereis cor-

Flamma nõ humido innato tantùm, ſed & aere nutritur.

Chymiſtæ.

Cucurbitulæ.

Li. 3. temp.

n 3 poribus

poribus fit flamma, ex terra & terreis carbo: vt item dum ligna vruntur quantum materiæ aquoſæ et aereæ eſt magis tenuatum in fumum & fuliginem abit, quantum craßius ita extenuari & leue fieri non potuit, in cinerem ſubſidit. Sic in humoribus per febres aut phlegmonem putrendo aſſatis, quantum erat igneum, aereum, aquoſum, in vapores ſolutum per inſenſilem ex cute tranſpirationem in aerem ambientem vaneſcit in ſtatu acceßionis & morbi, multò magis in declinatione: quando etiam velut cinefactæ reliquiæ etiam ſenſibiliter vacuari ſolent, vrinis, ſudoribus, vomitu, deiectione. Hæ autem reliquiæ à tenuibus humoribus, vt bile pallida, pituita liquidiore, ſanguine prætenui, paucæ ſuperſunt: multæ autem à craßioribus, humore melancholico, ſanguine craſſo, pituita craſſa. Ob id febres ab illis ſi peruſti fuerint, ad integritatem puriorem deſinunt, præſertim bilioſæ: vix autem melancholicæ, & quas pituita vitrea, vel alia craßior excitat, præſertim ſi craßitiei accedat lentor: quo quia caret melancholia et humor melancholicus, ad integritatem deſinunt puriorem ex ea febres, quàm quæ ex pituita craſſa & lenta. Quòd ſi

Quare febres ad integritatem deſinant.

omnis

omnis materia putrere habilis iam putruit & vacuata eſt in declinatione acceſsionis, neque cauſa in parte aut corpore toto ſubſit alia, quæ ſimilem materiam vel in parte illa aut toto gignat, vel in eam aliundè protrudat, poſt eam acceſsionem febricitaturus non eſt: cauſa ſcilicet repetituræ acceſsionis omnino ablata, & regigni prohibita. Id quod Galenus intellexit ſcribens: Si nulla imbecillitas virium partis inflammatæ, vel aliarum fluxionem recipientium adſit naturalium coctricis et expultricis. Coctrix enim dum alimentum parti deſtinatum malè coquit, excrementum multum congerit: expultrix dum nec ſuæ partis excrementa vacuat, nec aliunde miſſa repellit, aut in aliam partem tranſmittit, in ea excrementorum copiam colligi ſinit: à quibus putrentibus febres fiunt ipſis familiares humoribus, pituitoſa, bilioſa, melancholica: quæ repetunt, prima quotidie, ſecunda alternis diebus, tertia quarto quoque die.

Si verò aut virium naturalium partis imbecillitas perſeueret, aut excrementa vt ante mittantur, aut ambo concurrant, febricitabit, & acceſsio repetet quoties ſimilis & æqualis materia in parte cumulata erit congeſtione, à fa- **Cauſa repetitionis febrium.**

cultate eius coctrice & expultrice imbecilla, aut ſluxione à tranſmittente parte. Pone naturales facultates robuſtas partis in qua fit putredo, ſed partem tranſmittentem ſimiliter habere facultate alteratrice & expultrice, & ex ſimili & pari ſanguine ſimilia & æqualia excrementa tempore pari congerere, & eodem tempore in partem robuſtam trāſmittere, dum ſcilicet excrementum quantitate, aut qualitate, aut vtraque infeſtatur. Id autem quod dico de ſimili & pari excremento, vel in parte ipſa collecto, ob ſuarum virium naturalium imbecillitatem, vel in partem inflammatam, vel putrentia excrementa continentem tranſmiſſo ex alia parte ſimiliter & æqualiter nutrita, & alimenti excrementum ſimile & par colligente, commodiſsimum eſt ad curandi methodum. Nullus enim affectus curari poteſt manente in corpore cauſa quæ ipſum gignit aut fouet. Siue igitur partis, in qua putredo fit, facultates naturales ſunt imbecillæ, & ob id excrementa multa colligant, & putredini alimentum ſuppeditent: ſiue excrementa à parte alia ſimiliter et æqualiter nutrita & facultates ſuas naturales retinente eaſdem: hoc eſt, vtra harum cauſa-

rum

rum morbum gignat aut foueat, ea tibi prius eſt abigenda, quàm morbum curare poſsis. Porrò cùm ea quoque cauſa eſſe varia ſoleat, varijs quoque remedijs abigitur: vt in ophthalmia docuit Hippocrates: Dolores oculorum meri potio, medicamentum purgans, balneum, fomentum, venæ ſectio ſoluit. Non quidem omnes ophthalmias horum ſingula ſoluunt, ſed quaſdã horum aliqua: vt, meri potio, quando craſſus humor venis oculorum ſine totius plenitudine infarctus eſt: quando eſt cacochymia, purgatio: ſi acris eſt materia, balneum, niſi corpus ſit plenum: ſi plethora eſt, venæ ſectio: ſi tota fluxit materia, fomentum: capiti fluxionem in oculos tranſmittenti proſpicitur vacuantibus foras, aut in aliam partem ignobilem auertentibus, aut deriuantibus, & ipſum caput roborantibus, materias in ipſum ferri prohibentibus. Sed quibus indicijs horum quodque et ſimilium diſcernere oporteat, ſingulisque rectè diſcretis ophthalmiæ & aliorum morborum cauſis idonea adhibere remedia, in Methodo curandi, & libro de Compoſitione medicamentorum tam ſecundum partes, quàm ſecundum genera paſsim docet Galenus. Et in medicos priores ac ætatis

Ophthalmia. Aph. 31. lib. 6.

lib. 13. in fine.

ſuæ,

ſuæ, alioqui doctiſsimos, paſsim inuehitur qui remedia quædam celebria quidem, vt videri cuipiam imprudenti poteſt, ſcripſerunt ad hunc vel illum morbum, ſed cùm limitationes neceſſarias omiſerint, plus poſteritati obſuerũt quàm profuerunt: vt nos in libello, cui titulum inſcripſimus Methodum medicamenta componendi, docuimus.

Excrementa collecta in capite.

Colliguntur in capite excrementa plura & vitioſiora, quàm vt per conſuetos meatus tam ſenſibiles (vt nares, oculos, palatum, aures, foramina neruorum, venarum, arteriarum, & harum cauitates) quàm inſenſibiles, vt poros ſenſum fugientes, excerni queant ob ipſius capitis affectum aliquem, vt virium naturalium imbecillitatem ex intemperie vel morbo alio: vel ob id quòd ſanguine prauo & excrementoſo nutritur, alioqui ſanum: vel quod ſimul imbecillum eſt, & ſanguine malo, & excrementis, vt pituita, bile alterutra pleno nutritur. Tunc acceſsiones ophthalmiæ ſimillimæ prehendent, & aliorum affectuum. Quomodo igitur ophthalmiæ & multi alij affectus externi certo circuitu repetunt, ſic internæ phlegmonæ, pleuritis, peripneumonia, phrenitis, per certos circuitus

Internæ phlegmonæ

tus fluxione repetente accedunt. parte ipſa inflammata tunc ſolùm alijs imbecilliore, nullo alio malo laborante. Cuius fluxionis ſi cauſæ eædem perſeuerent, vt virium naturalium partis mittentis robur, ſuſcipientis et interdum etiam mittentis imbecillitas, aut alimenti prauitas, acceßiones eadem hora prehendent. ſi quid cauſarum deſit, tardius: acceßit, citius prehendet. *circuitu repetunt.*

Repetit cauſas quatuor acceßionum, longarum quidem materiæ copiam, qualitatem, corporis afficiendi habitum denſum, imbecillem expultricem & coctricem. breuium verò cõtrarias: de quibus ſupra diximus, & addidimus materiæ ipſius motum ob caliditatem, leuitatem, tenuitatem, expulſionis impetum, & corporis ipſius motionem breues facere acceßiones, quietem longiores. Addidimus quoque partium materiam morboſam expulſurarum ſenſum tactus exquiſitum breuiores, obtuſum longiores facere acceßiones. Quæ omnia etiam morborum cõſtitutiones & durationes faciunt, longas aut breues. Neque ea tantùm in febribus, ſed in phlegmonis & tumoribus reliquis, atque adeò in cæteris materialibus morbis locum habent. *Cauſæ acceßionũ longarum.*

Quotidiana autem acceßiones habet longas, ob materiæ *Quotidianæ acceßio lõga quare.*

teriæ frigiditatem, craſsitiem, lentorem: & quia in declinatione cruda nimis materia nec bene incenſa, non vacuatur. ob id intermiſsionem habet impuram. Quartana verò, ob materiæ ſiccitatem, vt tertiana incenditur promptius et vacuatur exquiſitius, ob id intermiſsionem habet integriorem, ſed tamen conſtitutionem longam. cùm melancholicus ſuccus tardiſsimè & ægerrimè totus vratur & vacuetur. Vt igitur acceſsio & conſtitutio febrium & morborum aliorum ſit breuior, materia eſt minuenda, vt purgatione illi accommoda, & ſi opus eſt, venæ ſectione, & victu idoneo talem materiam gigni prohibente incidenda, tenuanda, tergenda, partes roborandæ. vt ventriculus in quotidiana, hepar in tertiana, lien in quartana. corpus rarefaciendum in declinatione, & naturæ motus, & vacuatio adiuuanda eſt.

IN CAP. XVII.

VT cauſæ acceſsionum & conſtitutionum longarum et breuiū inuentu difficiles non ſunt, ſic neque cauſæ ob quas intermittentes quædam deſinant ad integritatem, & eam puram vel impuram,


impuram: aliæ, nempe productæ, non deſinant: vt ſi acceßio quotidianæ occupet horas viginti quatuor, tertianæ horas XLVIII. quartanæ horas LXXII. Is enim terminus eſt periodorum his febribus peculiarium. Si igitur acceßionis præcedentis finis in principium ſubſequentis incidat, continuæ ſimilis & propinqua fuerit: quia tamen acceßio finitur, intermittens eſt, licet impuram, breuem, obſcuram habeat intermißionem. Cauſa autem huius eadem eſt quæ acceßionum longißimarum: hæ enim quanto longiores ſunt, tanto breuius habent tempus intermißionis. Hoc tamen loco cauſas horum refert ad facultatis coctricis & expultricis in parte mittente & recipiente materiam putredini deſtinatam robur, aut imbecillitatem, cùm tamen cauſæ cæteræ, vt dixi, non ſint negligendæ.

FINIS.

Pagina 32. uerſ. 8. leg. & contrà frigeſiunt, & put. uerſ. 10. corpora contrà: humores ut mediam inter hæc conſiſtentiam hab.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google



Digitized by Google